

Joh. Danielis Schoepflini,
Quondam Regi Ludovico XV. A Consiliis et Historiographi,
Historiarum et Eloquentiae Professoris Publici
in Academia Argentoratensi,

Commentatio Historica

qua

Alemannicae antiquitates

sive

Integra Veterum Alemannorum usque ad
extinctam Eorundem Rempublicam fata

ex

*Optimis Historicorum Monumentis succincte
traduntur.*

In

usum Germanorum et Franco-Gallorum

denuo edidit, recognovit, auxit

Dr. Jo. Henricus Martinus Ernesti.



Adjuncta sunt

Fata Ducatus Alemanniae et Sueviae.

Lipsiae,
Sumtibus Ch. G. Kayseri. MDCCCXXVI.

Alemannicarum antiquitatum *).

Caput I.

De origine, situ et moribus Alemannorum.

Vicina olim, Triboccis, hodiernaeque adeo Alsatiae natio, Alemanni, rerum gestarum magnitudine inter praecipuas Veteris Germaniae gentes jam pridem relati. Eorum fata longe illustrissima integram trecentorum circiter annorum historiam memorabili plane periodo complectuntur. Victor saepe per Galliam Germaniamque populus de ipso tandem Galliae imperio cum fortissimis gentibus, magna virium suarum potentiaeque fiducia, certare videbatur. Franci, qui novi in illis partibus Regni fundamenta jecerant, non tam Romanorum, quibus terras illas eripuerunt, quam Alemannorum, quod maxime mireris, arma reformidavere. Ipsa antiquissima Franciae Regum ad Christianorum sacra initiatio; ipse Christianismi per totam

*) Libellus hicce egregius in adspectum lucemque Eruditorum prodiit Argentorati, Anno MDCCXXIII. Mihi in optatis est, ut legantur a me scripta de *viro incomparabili* in Opere, quod inscribitur: Historisch-literarisches Handbuch berühmter und denkwürdiger Personen etc., Vol. XI. P. II. (Lips. 1808. 8. maj.) una cum illis, quae *postea* perillustris *de Goethe* scripsit in Opere inscripto: Aus meinem Leben, Dichtung und Wahrheit, P. III. Tübingen, 1814. 8. p. 66 — 81.

totam mox Galliam latius propagandi felicior progressus; ipse Reges hodieque in Gallia sacrandi ritus; ipse denique splendidissimus, quo Galliae Monarcha insignitur, CHRISTIANISSIMI REGIS titulus, ex reportatis Francorum contra Alemannos bellantium victoriis, praevalentibusque Clodovaei armis passim derivantur. Implicita subinde bellicis his Alemannorum turbis finitima quoque ARGENTORATENSIUM Civitas; quae Romano olim Imperio subjecta, inde ab Alemannis per aliquod temporis spatium occupata; et Franciae tandem Regum Majestatem venerata, illius jam tum Regni primordia coluit, ad cujus imperium, cum per tot Saecula ab eo distracta fuisset, ante hos quadraginta annos rediit. Hujus ergo, qui Francicae Genti tot decora attulit, populi res atque fata paucis si perstringerem, operae pretium facturum me esse putavi; quod ex ipsis solidioribus veterum Scriptorum documentis nunc quoque praestare conabor.

ALEMANNIA *) Vetus, Rheno, Danubio, Moenoque fluminibus distincta, **) magnam olim Magnae Germaniae partem

*) Promiscue apud Scriptores occurrit *Alemanni*, *Allemanni*, *Alamanni*, Graecis scribuntur Ἀλαμαννοὶ, Dioni Cassio Ἀλαμβαννοὶ. Desideratur Liber, quem de hujus gentis historia promisit Melchior Goldastus. Sed multa apud Hanselmannum (Jo. Dav.) Koelerum, caet. (Dav. Frid.) Clessius (Cless) nuper descripsit religionem, mores, cultum ingenii Alemannorum in libro, qui inscribitur: Versuch einer kirchl. polit. Landes- und Culturgeschichte von Wirtemberg bis zur Reformation, Thl. I. S. 1. ff.

**) Concluditur hoc passim ex collatis inter se variis Scriptorum Veterum locis, praecipue Ammiani Marcellini; vid. Cluver. Germ. Antiq. Lib. 3. c. 4. adeoque sine dubio peculiaris fuit gens et certis limitibus ab aliis distincta. Notandum tamen, Scriptores varios varie hoc Alemannorum nomine uti, nec eandem semper intel-

tem ambitu suo comprehendit. Sed quod populis, quorum praecipua in bellis ratio, plerumque contingit, mutati subinde ejus termini, nunc ad amplius, nunc ad strictius terrarum spatium redacti: *) quibus tam variis finium accessionibus deminutionibusque factum, ut Alemanniam saepius in ipsa fere Alemannia quaeras. Moenum certe a Septentrione limitem, indignata ferox natio haud exiguam Mattiacorum, Cattorumque agri partem, incertum quando, subegisse, Lanumque in Cattis amnem, vel populorum potius adjacentium metum sibi terminum constituisse videtur. Senescente vero paulatim Occidentali Romanorum Imperio, cum fines ejus incursionibus gentium undique paterent, Alemanni Rheno superato, **) maxime Sequanorum, Galliaeque adeo Belgicae partem armis occupavere: unde ***) Alemannia versus Meridiem per

intelligi gentem. Nicephorus Gregoras Lib. 7. Alemanniam veteri lingua censeri Galliam Occidentalem auctor est. Pro generali fere Septentrionis Gentium nomine vocem hanc sumsisse videtur Arnobius Lib. I. Imo ipsi speciatim Germaniae nomen illud postea tributum, annotante Ottone Frisingensi, in vita Friderici I. Lib. I. c. 8., quam vocis significationem Galli et Itali hodieque servant. Alemanni quoque vocantur Suevi non apud Ausonium et Claudianum modo, sed et apud Historicos, Ammianum Marcellinum, Gregorium Turonensem, Paulum Diaconum etc. Quia vero Alemanni Magnae Germaniae finibus inclusi erant, promiscue quoque Germani vocantur.

*) Pontani Orig. Francic. Libr. 2. Cap. 2.

**) Apollinaris Sidonius in Panegyr. Avito Augusto dicto, sive Carmine 7. vers. 374 seq. et Sirmondus ad hunc loc. Hinc Anonymus Ravennas Rhenum per Almanorum terram venire scribit Lib. 4. c. 24. vid. Theodoricum Ruinartum in Not. ad Gregor. Turon. Vitas Patrum Cap. I. pag. 1146.

***) Unde Walafridus Strabo, Abbas Augiensis Ludovici Pii Imp. aequalis, Lacum Tigurinum in Alemannia ponit, et in Praefat. Libri de vita S. Galli disertis verbis

per Helvetiam ad Lacum, ut videtur, Lemannum extensa. *)

Atque uti haec certo satis firmoque nituntur fundamento, ita, si de origine gentis dispicias, dubia fere cuncta et obscura deprehendes. Qui in evolvendis Veteris Germaniae originibus spuria Pseudo-Berosi documenta secuti sunt, illi Alemannicae gentis nominisque primordia ad remotissima antiquioris aevi tempora rejiciunt. **) Quodsi enim his fidem adhibeas, sub Mancaleo, decimo quarto Assyriorum Rege, vel Diluvii Deucalionei tempore, apud Tuiscones regnavit Hercules Alemannus, Teutanis filius, apud Celtas Lugdus; unde exorta provinciis populisque nomina. ***) At mirandum, Viros illos haud exiguae famae, qui in aliis rebus acutissime viderant, in tradendis gentium antiquitatibus ab explosis hodie Annii Viterbiensis mendaciis tam turpiter deceptos. Sed uti nos illa, ab Annio tradita, inter somnia fabulasque reputamus, ita non minus eorum sententias rejicimus, qui vel a Manno, Tuistonis filio, †) vel a Lemanno Lacu, ††) vel a Limmaha amne, qui e lacu Turegiensi profluit, †††) vel

verbis tradit: mixtos Alemannis Suevos non modo partem Germaniae et Rhaetiae, sed etiam partem Galliae circa Ararim (ita tum Arolam vocabant in Rhenum influentem, qui fluvius hic necessario intelligendus) obtinuisse. Goldastus in Script. Rerum Alemann. T. I. P. II. p. 143.

*) Isidorus Originum L. 9. p. 1042., ubi per fluvium Lemannum Lacus Lemannus intelligendus; Lucanus enim, quem citat, de Lacu Lemanno sine dubio loquitur, Pharsal. L. I. add. Serv. in Virgil. Georgic. L. 4. v. 278.

**) Aventinus Annal. Bojor. L. I. c. 6. *Spangenberg Sächsische Chronick* cap. 16. p. 21. aliique.

***) Annii Viterb. Berosus. p. 82.

†) Apud Münster. Cosmograph. L. 5. c. 6. p. 604.

††) Isidorus Hispalensis in Originibus L. 9. p. 1042.

†††) Apud B. Rhenanum Rer. Germ. L. 1. p. 70.

vel ab Alemanno, *) aut Lemanno **) fluvio, vel ab Hebraica voce Elam, ***) vel ab Alanis nominis Alemannorum originem derivare sunt ausi. In tanto ipsius Germaniae Veteris circa res suas silentio, ad Graeciam Latiumque confugimus, ubi certissima tum literarum artiumque sedes, quibusve silentibus, tenebrae plus quam Cimmeriae in universa fere historia regnarent. Ergo longe certioris conjecturae fundamentum nobis praebet haud contemnendae auctoritatis Scriptor, Agathias Scholasticus, †) qui nomen Alemannorum exortum tradit, ††) quod convenae ex variis nationibus collecti, vel viri ex omni gente convenientes populum illum ab initio constituerint; atque hunc ejusdem vocabuli apud ipsos quoque Alemannos sensum esse, simul subjungit. †††) Floruit quidem Agathias, Justiniano demum et Justino Juniore Orientis Imperatoribus; at nititur testimonio vetustioris Historici, Asinii nempe Quadrati, Itali et exacti, quem vocat, rerum Germanicarum Scriptoris. Hunc manifesto errore Cluverius celeber-

*) Joh. Isaacius Pontanus Origin. Francicar. L. 2. c. 2. hodie accolis dicitur Almul, ortus a parte Germaniae Boreali juxta Kelhemium Danubium intrat. Hertii. Not. vet. Germ. P. III. c. 1. §. 2.

**) Otto Frising. de R. G. Frider. I. L. 1. c. 8. Notandum, quod asserente Gotofredo Viterb. in Pantheo, Rhenum quoque Vetustas Lemannum dixerit.

***) Apud Carionem in Chron. L. 3. p. 431.

†) Apud Agathiam e testimonio Asinii Quadrati haec verba: *Alemanni* communes sunt variis ex nationibus collecti id ipsum apud eos significante vocabulo.

††) De Imperio et rebus Gestis Imp. Justiniani L. 1. p. 12. ξυνήλυδας ἀνθρώπους καὶ μιγάδας dicit.

†††) Diceres, *Allerlei Männer*, *Allmänner vel Allemann*, convenae et miscellanei, vel multitudo hominum undique collecta. Falluntur ergo, qui ex loco hoc male intellecto Graecam vocem ἀλήμονες (errones) auctorem indigitare voluisse putant, ut Cario in Chron. L. 3. p. 430. Origo enim vocis est *Germanica*

celeberrimum illum Asinium Pollionem esse existimat, *) qui Julii Caesaris tempore vixit, et sub ipso militavit, cujus ad Ciceronem hodieque epistola extat, qui princeps Orator et Civis a Plinio vocatur, cujus nomini Virgilius Eclogam inscripsit, quique acerrimi et severi Critici elogio passim Antiquitati notissimus, in ipso quoque Tito Livio quandam inesse Patavinitatem **) docuerat. Quod si hic Asinius Pollio Alemannos jam memoraret, sine dubio hujus gentis origo longe illa tempora transcenderet, quae plerorumque hodie Historicorum sententia ipsis assignat. Sed cum Strabo accuratissimus gravissimusque Augustei Saeculi Scriptor, cui Asinius Pollio diligenter lectus, nullibi plane Alemannorum mentionem injiciat, cumque adeo isti proximaeque aetati populus ille fuerit ignotus, minime contra Cluverium asserere dubitamus, Asinium Agathiae memoratum, non esse illum Pollionem, sed alium longe posteriorem, qui imperantibus demum Romae Philippis historiam conscripsit, eamque ad annum usque millesimum V. C. perduxit, a Stephano quoque Byzantio non semel allegatus. Quicquid vero ex Graeca et Latina vetustiorum Geographorum antiquitate nobis superest, Alemannos silentio transit. Ignorat eos praeter Strabonem, Claudius

---

nica, asserente id clarissimis verbis Agathia. Neque etiam se vocavere *Allmann*, quasi *omnes viri*, a virtute bellica, ut terrorem vicinis incuterent; quod vult Urstisius in Chron. Basil. L. 2. c. 2. quam sententiam quoque relatam video apud Mezeraeum in Historia Franciae ante Clodovaeum, quam Gallice edidit, L. 2. pag. 179. Sed Auctor sententiam mutavit cognita hac et Geographiae et Chronologiae adversa: videatur Eiusd. Alsatia illustrata, T. 1. p. 248. et Koelerus noster, §. II. 1.).

*) Hinc accidit, ut Pontanus indignabundus hos versus componeret:

Qui Pollionem, quem vocat Asinium Strabo,
Illum esse Asinium, qui Quadratus Agathiae est,
Contendit, ipse sit Quadratus Asinus.

**) Quintilianus in Inst. Orat. L. 8. c. 1.

Claudius Ptolemaeus: ignorat Caesar, Plinius, et diligentissimus rerum populorumque Germaniae enarrator, Tacitus; manifesto evidentique indicio, nomen istius gentis, ne ad tempora quidem Antoninorum assurgere.

Prima Alemannorum mentio circa tertii post Christum natum Saeculi primordia occurrit, *) sub Romano Imperatore, Bassiano Caracalla, **) in Excerptis ex Dione Coccejano ab Henrico Valesio editis, ***) referentibus quoque Aelio Spartiano †) et Sexto Aurelio Victore. ††) Tradunt hi, Bassianum Alemannos prope Moenum amnem memorabili devicisse victoria, indeque Alemannici cognomen reliquis ejus titulis quoque adjunctum. Uti vero hac ratione Germaniae vocem longe antiquiorem dixeris, quam Alemanniae, ita Francicum vicissim Alemannico nomine posterius esse nemo negabit; quandoquidem sub Gallieno demum Imperatore prima Francorum fit mentio a Trebellio Pollione, qui post medium Saeculi tertii Francicis ac Celticis auxiliis contra insurgentes hinc inde tyrannos adjutum esse Gallienum testatur: explosa jam pridem et falsitatis convicta, derivata illa Francorum a Trojanis origine; et emendato illo Ciceronis loco, †††) in quo Francorum mentio facta a nonnullis eximiae alias doctrinae viris

*) Alsatiae illustratae Tomo I. cum alia, tum haec leguntur: vocabulum Alemanni Tacito, omnibusque saeculi II. monumentis ignotum, saeculo III. demum innotuit.

**) Errat ergo Goldastus in Dedic. Script. Rerum Alemannicarum, qui sub Francorum demum Regum imperio primo natum atque inventum Alemanniae nomen asserit. Errat et Cario, qui in Chron. L. 3. p. 431., sub Imper. Probo demum Alemannos primum nominari credit.

***) Ex Lib. 77. p. 749. et seq.

†) In vita Caracallae c. 10.

††) De Caesaribus c. 21.

†††) Epist. ad Attic. L. 14. epist. 10. vid. Joh. Isaaci Pontani Orig. Franc. L. 2. c. 4. Cointius in Annal. Franc. ab initio.

viris *) credebatur; correcto etiam illo Strabonis loco, **) quem Pontanus integritati suae restituit. His ita jam stabilitis vel vicinos in unum coalescentes populos Alemannorum nomen accepisse, vel veteres illius regionis incolas novo hoc denotatos nomine credendum est, vel novus ille plane circa ista tempora advena populus dicendus. Existimavere nonnulli, ***) praeferendam esse primam ex hisce sententiam; quod scilicet plures Germaniae nationes, vel ad inferenda Romanis arma, vel reprimendae eorum potentiae, vindicandaeque adeo libertati Germanicae, in arctius foedus coiverint. Quemadmodum eadem ratio, eademque consilia alias Germaniae nationes in foedus ac nomen Francorum compulerunt; accedente praesertim Julii Capitolini †) auctoritate, qui imperante Antonino Philosopho gentes omnes ab Illyrici limite Galliam usque inter se conspirasse, manifeste testatur. Verum enimvero cum haec iis, quae ab Agathia modo tradita enarravimus, non satis conveniant; cum alia conjectura longe probabiliora suggerat, nos in tanta antiquitatis caligine, tam distractis recentiorum Scriptorum opinionibus, postremam ex allatis sententiam esse veriorem, Alemannosque adeo novum in illas partes advenam fuisse populum, confidenter pronunciamus.

Occupaverant Divi Julii temporibus magnam terrarum inter Rhenum Danubiumque partem potentissimus Germaniae populus, Marcomanni; quorum sine dubio Dux fuit fortissimus ille Ariovistus, Caesari ††) Rex Germanorum appel-

*) Carolus Molinaeus de Orig. et Progressu Monarch. Franc. num. 65.

**) L. 4. Geographiae.

***) Franciscus Guillimannus de Rebus Helvet. L. 2. cap. 3. Hertius Notit. Veteris Germ. pop. P. III. c. 1. §. 2. eandem conjecturam refert Mezeray in Histoire de France avant Clovis L. 2. p. 179.

†) In Anton. Philosopho c. 22.

††) L. 1. de bello Gallico c. 31.

appellatus. Praefuit illi bellicosae genti Maroboduus, *) eximiae prudentiae fortitudinisque Princeps; qui vim regiam complexus animo, excitam sedibus suis totam vastissimamque Marcomannorum gentem in incinctos Hercyniae sylvae campos, **) sive in Bojohemum imperante Augusto deduxit, ut in remotioribus a limite Romano locis non tumultuarium neque fortuitum, sed certum aliquem firmumque inter suos sibi pararet Principatum. Nec spem eventus fefellit: cum enim illa, quae diximus, loca vi armisque occupasset, finitimos circumcirca gentes aut bello domuit, aut ita in potestatem suam redegit, ut regnum istud brevi ad invidendum gloriae et potentiae culmen conscenderit. Deserta a pristinis habitatoribus inter Rhenum Danubiumque loca, novos mox incolas accepere; cum, ex Taciti ***) testimonio, levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavisset. Quis enim negaret, Decumates illos agros, †) de quibus haec Tacitus tradit, esse illas ipsas a Marcomannis desertas regiones, cum eosdem, intra quos Marcomanni prius habitaverant, terminos, Rhenum scilicet, Danubium Cattosque, qui Moeno terminabantur, vicinos agris illis evidenter assignet: cum nulla insuper alterius in his partibus populi migratio, qua dubiae possessionis solum exoriri potuisset, in illius temporis historia memoretur. Itaque videntur haec parva illa Alemanniae exordia; quae posterioribus Saeculis paulatim aucta, donec in formidandas

vicinis

*) Vellejus Paterculus L. 2. c. 108.

**) Strabo Geogr. L. 7. p. 330.

***) Germ. c. 21.

†) Sive Trans-Rhenanum limitem. Diversae sunt Eruditorum de his agris sententiae, inter quas illam Lipsii in Commentar. ad hunc locum minime probamus, qui militibus datos fuisse a Romanis hos agros statuit. Rectius dicitur, quibuscunque colonis sub Decumarum onere Romanos eosdem agros concessisse. Haec Schoepflinus: equidem aliubi plura de *Decumatibus agris.*

vicinis opes populus ille excresceret. Et cum his adprime conveniunt *) ea, quae de origine appellationeque gentis memoratus jam Asinius Quadratus apud Agathiam tradit. Quamquam enim maximam eorum, qui vacuos agros occupaverant, partem Gallos (et quidem ex Sequanis, Rauracis, Helvetiis **) praecipue) fuisse existimemus, minime tamen dubitamus, ex aliis quoque gentibus Rhaetiae, Pannoniae, Germaniaeque novos hinc inde accessisse colonos; multitudinemque adeo ***) hominum collectam et paulatim in unum coalescentem istius populi constituisse primordia. Gallicae tamen praesertim originis †) fuerunt Alemanni. ††) Strabo certe Gallicas gentes inter Rhenum

*) Cum temporis ratione minime convenire videntur. Maroboduus enim illas regiones, quas Alemanni occupavisse dicuntur, jamjam aetate Augusti, quinimo ante Christum natum, deseruit, suosque Marcomannos aliosque populos Suevos in Moraviam, indeque in Bohemiam deduxit.

**) Helvetios nunquam Gallis, sed potius Germanis annumerandos censeo, quidquid Caesar, Tacitus, et qui sequuntur, dicant. Plinius ipse Lib. IV. c. 17. Helvetiam sub Belgica comprehendit; in qua fere sententia Ptolemaeus, qui Belgicam fecit triplicem, unam inferiorem, intra Mosam et Rhenum usque ad Mosellam, alteram superiorem, inter Mosellam et Rhenum usque ad Jurassum montem, tertiam magnam, intra Rhenum et Vistulam. Limites modo restringuntur, modo extenduntur: hinc diversitas opinionum.

***) Mezeray Hist. de France avant Clovis Lib. 2. p. 178.

†) Minime gentium: Videatur scriptum Koelerianum quod subsequitur. Ad hoc: multitudo Germanorum admodum magna, Germani sempiterni Gallorum hostes, Germani dudum Gallis fortiores et bellicosiores fuere, ita ut hi contra illos suas regiones transrhenanas haud satis defendere valerent. Quid igitur in tam numerosa Germanorum gente opus fuit istius Galliae populis?

††) Cluverius Germ. Antiq. L. 3. c. 4.

num Danubiumque collocat, *) quod manifesto faceret errore, si haec Gallorum in Marcomannicas sedes successio, unde Alemanni exorti, non admittitur. Confirmant hanc eandem gentis originem, quotquot Alemannos a Germanis distinguunt, **) maximae auctoritatis Scriptores, ut Stephanus Byzantius, ***) Eustathius, ****) Flavius Vopiscus, qui, dum Alemannos Germanis fuisse finitimos, unanimi consensu pronunciant, hoc ipso non ex Germanica gente eos prodiisse fatentur.

Collectus hic ex variis gentibus populus mox certam Reipublicae formam sibi induxit, et quidem discrepantem omnino a plerisque Germaniae Galliaeque populis. Saeculo certe jam tertio, imperantibus Romae Valeriano et Gallieno, memoratur apud Gregorium Turonensem, †) Chrocus quidam Alemannorum Rex: et Sulpicius Alexander ††) Saeculo quarto, cum Francorum Regum mentionem fecisset, Alemannicos quoque Reges allegat, †††) nominatque mox Respendialem, nisi tamen fortassis posteriore loco *Alanorum* pro *Alamannorum* legendum, uti Valesius et Cointius ††††) arbitrantur. Sub Juliano Caesare plures simul commemorantur Alemannorum Reges, Chnodomarius, Vestralpus, Urius, Ursicinus, Serapio, Suomarius, et Hortarius,

*) L. 7. princip. p. 329.

**) Qua eminentiores inter reliquos Germanos distinguunt Alemannos, non qua duo diversos.

***) In voce Ἀλεμαννοί.

****) Ad Dionysium Alex.

†) L. 1. c. 30 et 32.

††) Quem Autorem, ejusque historiam non aliunde, quam ex Gregorio Turonensi cognoscimus.

†††) L. 2. c. 9. p. 60.

††††) Hos recte sequuntur Scriptores recentiores: Respendialis Rex Alanorum, non Alemannorum fuit, quippe qui Alanos suos in Hispaniam, speciatim Lusitaniam deduxit.

tarius, *) manifesto indicio, non uni capiti gentem illam fuisse subjectam, sed pluribus simul Regibus eos paruisse, qui diversis uno tempore pagis praefuerant. Nec dubitaverim, Reges hos exemplo magis quam imperio praefuisse, ipsisque adeo minime infinitam aut liberam fuisse in subjectos populos potestatem. Hi ipsi tamen Reges sive Principes non libera populi electione, sed sanguinis jure sibi invicem successisse videntur. Memoratur certe ab Ammiano Regis Vadomarii **) filius Vithicabius, et ipse Rex. Memorantur Regii fratres, Alemannorum Reges. ***) Memorantur Regales, †) quos eruditorum conjectura ex ipsa Veterum auctoritate interpretatur Regiae stirpis Principes, filios, agnatos, regali stemmate ortos. ††) Quae si non

*) L. 18. c. 2.

**) L. 27. cap. 10.

***) L. 14. c. 10. et L. 15. c. 12.

†) L. 16. c. 12. L. 17. c. 13. L. 18. c. 2.

††) Frequens Regalium mentio, non apud Ammianum modo, sed et apud Gregorium Turonensem L. 2. c. 9. ex Sulpicio Alexandro, ut et in Codice Theodosiano L. 7. T. I. de re militari occurrit. Dubitat Gregorius, utrum per Regales ipsi intelligendi sint Reges, an illi, qui vices Regum tenuerunt. Et hanc sane vocem, *Regales*, frequenter Reges denotasse Valesius Lib. II. Rer. Francic. et in Not. ad Ammianum L. 16. c. 12. contendit; uti etiam in Addendis ad Tom. I. observat, Attilam et Bledam, Hunnorum Reges a Prisco nonnunquam Regales appellari; consentiente ipso quoque Jacobo Gottofredo in Comment. ad Codicem Theodosianum loc. cit. At interdum quoque per Regales intelligi Regiae stirpis Principes docet Vetus quidam Grammaticus *de Differentiis vocum* apud Butschium p. 2205. ubi dicitur: Inter Regem et Regalem hoc interest, quod Regis puer Regalis est; Rex, qui regit regnum. Certe in locis ex Ammiano Marcellino modo allegatis, Regales subjunguntur Regibus, Reguli Regalibus; uti et Subregulos Regulis subjunctos fuisse minime dubitandum: subinde tamen quoque hae voces miscentur. Graeci

non omnino ex sanguinis jure successionem in Alemannorum olim Principatibus obtinuisse demonstrant, magnam certe Regiae familiae rationem in electionibus, si illae quidem invaluerunt, habitam fuisse ostendunt. Splendorem Regum Alemannorum haud levem fuisse, vel ex eo patere potest, quod praeter magnam Optimatium seriem, ducentis quoque Comitibus inveniuntur stipati; *) quos subinde satellites historia vocat; **) communeque adeo hoc Alemanni cum Germanis habuere, quorum Principibus magnum fuisse Comitatum Tacitus docet. Uti vero hanc Comitis dignitatem illustrem prorsus proximamque a Principum fastigio, et omnibus aliis bellicis muniis ac dignitatibus superiorem fuisse minime diffitemur, ita in eo manifesto errare Cluverium arbitramur, quod Romanos nomen Comitum Ducumque a Germanis demum, qui in Palatio Caesarum versabantur, habuisse existimat. ***)

Caeterum Alemannia, Regia, uti vidimus, potestate olim conspicua, in varios diversosque pagos quoque fuit subdivisa, †) quibus vel singulis vel pluribus simul Rex praeerat. Referuntur speciatim Pagi Lentienses, ††) et Bucino-

Graeci βασιλικοὺς dicerent. Sic Eustathius in Iliad. 10. Astyanactem Hectoris filium βασιλικὸν appellat, et in Iliad. 8. Teucrum quoque ita vocat, ex Hesiona, Priami sorore genitum. Lucianus de saltatione τῶν γὰρ ἐκ τοῦ πόντου βαρβάρων βασιλικός τις. Priscus in Historia Byzantina τοὺς βασιλικοὺς σκύθας passim nominat, id est Regales, tradente Valesio in Not. ad Ammianum, loco citato.

*) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 12.

**) Ammianus Marcell. loc. cit. et Lib. 29 et 31. Procopius Vandalicorum Lib. 2.

***) Germ. Antiq. Lib. 1. c. 48. p. 375.

†) Ammianus Marcellinus Lib. 14. Cap. 10. Lib. 18. Cap. 2.

††) Lib. 15. Cap. 4. Lib. 31. Lentiensis Alemannicus populus tractibus Rhaetiarum confinis dicitur. Lindenbrogius

Bucinobantum *) pagus contra Mogontiacum, cui Fraomarius peculiaris Rex datus. Per illos vero Alemannorum pagos exortae successu temporis non paucae civitates, si fides Anonymo Ravennatensi, haud inepto Veteris Geographiae Scriptori, **) qui majori fere quam in reliquis Germaniae partibus numero Alemannicas juxta Rhenum praesertim civitates recenset, et plerasque quidem a Romanis conditas: Sunt illae Gormetia, quae confinalis est cum Maguntia civitate Francorum, Altripe, Sphira, Porca, Argentaria, quae modo Stratisburgo dicitur, Brececha, Bazela, Augusta, Carstena, Cassangita, Wrcacha, Constantia, Rugium, Bodungo, Arbore Felix, Bracantia. Item juxta supra scriptam civitatem Stratisburgo, id est civitas quae dicitur Alaja, Chorust, Ziaberna, Frincina, Aon, Laguirion, Brara, Albisi, Ziurichi, Duebon, Crino, Stafulon, Cariolon, Theodoricopolis, Vermegaton etc. ***) Quam-

brogius conjicit esse locum, quem hodie Germani vocant *das Linckgavv*, sive, juxta Guillimannum de rebus Helveticis, L. 2. C. 4. *Linzgeuu* ad Lacum Constantiensem.

*) L. 29. C. 4. unde Butisbacum, Wetteraviae oppidum, nomen accepisse conjicit Hertius Not. Veter. German. P. III. Cap. 1. §. 5.

**) L. 4. §. 26. in editione Gronoviana Pomponii Melae.

***) Horum locorum nomina nostris temporibus accommodavit Hertius in Notitia Veteris Germ. populor. loc. cit. *Gormetia*, hodie Worms: *Altripe* hodie Altrip, olim Alta Ripa. *Porca* hodie Pfortzheim (quod tamen oppidum Badense longe distat a Rheno): *Brececha*, Veteribus etiam *Braccum Saccum*: hodie Brisach; *Bazela* hodie Basel: *Augusta* Rauracorum hodie Augst, *Wrcacha* Aurach (quod oppidulum Wirtembergense longius distat a Rheno): *Arbore Felix* hodie Arbon: *Bracantia* sive *Brigantium* hodie Bregentz, quod viginti passuum millibus ab Arbore Felice distat: *Alaja* hodie Altzen. *Chorust*, an hodie Kyrn? *Ziaberna* hodie Zabern Elsass. *Frincina* hodie Freinsheim in Palatinatu: *Albisi* hodie Albich, non procul ab Altzen: *Crino*,

Quamvis vero allegatus Geographus integro demum post devictam a Francis Alemanniam Saeculo fere vixisse credatur, nonnullaeque adeo ex his civitatibus, libera et florente Alemannia, fortassis nondum floruisse videri possint, notandum tamen Scriptorem hunc antiquiori nixum esse auctoritate, Anaridi scil. cujusdam et Eldebaldi, quos Gothicae gentis Philosophos vocat, quique temporibus illis propiores fuerunt. Hoc autem minime diffitemur, aliquando latius Alemanniae terminos extendisse Geographum, dum aliquas cis Rhenum civitates in isto quoque laterculo comprehendit: sed respicit sine dubio Scriptor tempus, quo hanc Galliae Belgicae partem Alemanni Rheno trajecto, non semel copiis suis inundavere, cum non solum Germaniam Primam, sed ipsam quoque Alsatiam, et Maximae Sequanorum partem armis suis aliquandiu occupassent. Lupodunum vero *) vetustissimum Alemanniae oppidum, cujus apud Ausonium **) mentio, omisisse videri posset Ravennas Geographus, nisi Bodungo civitas, quam memorat, heic intelligenda. Atque haec ipsa pagorum oppidorumque Alemanniae copia populosissimam olim istam fuisse gentem facile arguit. ***) Arguunt idem numerosi illi exercitus, quos frequentes contra Romanos Francosque, hostes suos, eadem Alemannia produxit. Arguunt

Crino, an hodie Crünstad, quod oppidum ad Illustrissimos Comites Leiningenses spectat. *Theodoricopolis* hodie Dietenhofen.

*) Freherus in Origin. Palatinis P. II. C. 5. et in peculiari Libro de Lupoduno: quo B. Rhenanum et Ortelium refutavit, statuitque oppidum, quod hodie vocatur *Ladenberg*: sed refutatus vicissim a Cluverio Germ. Antiq. L. 3. c. 4. qui interpretatur arcem *Lupf*, septem millibus passuum a fonte Danubii versus Occidentem dissitam.

**) Mosella v. 423.

***) Aurelius Victor de Caesaribus Cap. 21. Alemannos *gentem populosam* vocat.

gunt tandem tot millia eorundem diversis in proeliis occisa, cum novi tamen non minore numero exercitus subinde redirent. Formidabiles autem istas fuisse copias minime mireris; cum grandissimis, excelsis, robustisque corporibus conspicui fuerint Alemanni: ex communi cum Germanis climate, communi quoque corporis habitu praediti. Quam Germanorum corporum magnitudinem, si reliqua taceret historia, *) vel solus ille Romani exercitus terror ostenderet, qui audita ex Gallis ingenti illa Germanorum proceritate, sub magno quamvis Caesare partim militiam deserere, partim suae sortis miseriam infelicitatemque deplorare coepit; **) unde nec hoc mirum, plurima et longe illustrissima virtutis, fortitudinis, animositatis, pertinaciae, ferociaeque Alemannorum in bello praeliisque passim comparere vestigia. ***) Ex equis vero praesertim mirifice eos pugnasse a Veteribus proditum est; †) quas virtutes et ipse sequior sexus cum viris communes habuit; communibus iterum cum reliqua Germania moribus: siquidem Germanorum uxores, cum viris in proelia profectae, bellicorum etiam periculorum laborumque sociae fuerunt; quod ipsa quoque dos, quam maritus uxori obtulit, frenatus equus, scutum, framea, gladiusque, munera minime ad delicias muliebres quaesita, demonstrabat. Nec minus singulari fide probitateque conspicui, ipsisque adeo Romanis probati fuerunt Alemanni; quod honoratioris militiae locus in castris exercitibusque non raro ipsis assignatus demonstrat. Uti vero virtutibus hisce simillimi Germanis erant Alemanni, singulari

*) Caesar de Bello Gall. Lib. I. c. 39. L. 2. c. 30. L. 6. c. 21. Mela L. 3. c. 3. Tacitus in Germania C. 4. et 20. in Agricola C. 11. et Hist. Lib. 5. c. 18.

**) Caesar de bello Gallico L. I. c. 39.

***) Excerpta Dionis Cassii apud Valesium p. 749. et seqq.

†) Aurel Victor. de Caesar. Cap. 21.

lari quoque praesertim hospitalitatis elogio condecorati, *) ita vitiis pariter haud omnino ipsis dissimiles dixeris. Quod si enim de Veteri jam olim Germania Tacitus retulit, sitis minime patientes fuisse ejus incolas, eosdemque mox ebrietatis, mox vinolentiae arguit, idem certe vitium Massiliensis Saeculi quinti Episcopus Salvianus in Alemannis quam maxime notavit. **) Religionem tandem si spectes, hos ipsos Alemannos in iis, quae ad Deum pertinent, ex Agathiae ***) relatu, a Francis discrepasse minime miramur; cum Francos eo, quo Agathias scripsit, tempore Christiana jam sacra amplexos fuisse, in tanto Scriptorum consensu nemo dubitet. †) At cum Germania certe Magna, maximam tum partem adhuc gentili, communem fere superstitionem habuisse videntur. Ille arborum quarundam, ille collium, ille saltuum cultus, quem Alemannia fovisse scribitur, ††) nonne lucos illos, nonne

*) Salvianus de Gubernatione Dei L. 7. p. 273. edit. Rittershus. nisi forte ibi *Alanorum* legendum.

**) De Gubernatione Dei L. 4. p. 141.

***) Agathias in Hist. Justiniani. L. 1. pag. 12.

†) Alemanni vero serius Christianismum sunt amplexi, et quidem per Francos inducti, ceu tradit Agathias. vid. B. Rhenan. Rer. Germ. Lib. 3. p. 118. a S. Columbano et S. Gallo, Seculo VI. demum conversi.

††) Agathias loc. cit. Antiquissimus Arborum nemorumque cultus. *Altam quercum* Jovis apud Celtas simulacrum esse Maximus Tyrius Serm. 38. memorat. Vittis et Lucernis hinc eas colebant; Prudentius II. contra Symmachum. Vota ad eas nuncupare et tabellas appendere, Ovid. Metam. L. 8. hostiumque spolia ad eas deponere solebant; Lucanus L. 1. Apul. Flor. 1.; adde Plinium Lib. 12. C. 1. *Tribochos* vero, sive Triboccos, melius Tribocos (in sex MSC. J. Caesaris de Bell. Gall. invenitur *Tribucorum*), quasi Treybuchios, a tribus fagis antiqua religione sacris nomen accepisse, ut a nonullis, et a Schadaeo quoque in Descript. Summi Argent. Templi pag. 1. traditur,

 Schoepf-

nonne alta Germanorum nemora redolet? Illa equorum et aliorum animalium, ipsorumque, ut apparet, hominum resectis capitibus immolatio, nonne apud Germanos quoque usitata, qui concessis animalibus Herculem ac Martem placaturi, Mercurio certis diebus humanis quoque hostiis litare, fas esse crediderunt? *) Hoc maxime miror, dubitasse Agathiam, an ipsis saltibus et lucis, an vero certis per eos numinibus illum exhibuerint cultum Alemanni, quem minime fugere debuerat, eos nemora ista consecrasse Diis, quorum nominibus appellaverant secretum illud, quod sola reverentia videbant. Illae tandem Vatum Alemannicorum, praedictiones, atque vaticinia, **) illa ab iisdem capta auspicia, ***) quid aliud sunt, quam illae sortes atque auguria, quibus certatim quoque olim dedita fuit gentilis Germania? †) Quodsi Herculem illum Alemannum, ††) quem recentior effinxit aetas, genuina quoque

Schoepflinus non firma satis auctoritate niti credidit. Sed legenda sunt, quae dedimus in Notitia Hermundurorum eorumque causa maximae partis Germaniae antiquae Tom. II. Dissertat. Longol. de Tribocis p. 88. sqq. Innumera Germanorum loca nomen ab arboribus sunt nacta.

*) Tacitus Germ. C. 9.

**) Agathias. L. 2. qui eos χρησμολόγους Ἀλαμαννικοὺς vocat. Cum enim Buccellinus in Italia cum Narse pugnaturus consisteret, Vates Alemannorum, ne eo die proelium committeret, edixerunt, alioqui exercitum internecione deletum iri.

***) Ammianus L. 14. C. 10. Incantationum ab Alemannis adhibitatum mentionem faciunt Eclogae Dionis Peirescianae p. 751.

†) Adeo ut etiam Virginum vaticiniis fidem adhibuerint, quod docet exemplum Veledae apud Tacitum Hist. Lib. 4. C. 61. et de Mor. Germ. C. 8. — Ex his igitur omnibus satis superque apparet, Alemannos Germanicae fuisse originis.

††) Elias Schedius de Diis Germanis.

quoque admitteret historia, Deastrum illum, quem superstitiosa olim ARGENTINA *Krutzmanni* nomine coluisse fertur, numen esse ab Alemannis acceptum diceres, nisi idoli verius Romani et Graeci, quam Germani imaginem eadem exprimeret statua. *) Unde de tota hac traditione caute pronunciandum.

Sed cum nulla quoque Respublica, nulla natio sine jure et legibus subsistere possit, nullum plane est dubium, quin et Alemanniae populi ab ipsis Reipublicae suae incunabulis suo quoque Jure sint usi. Et hoc ipsum illud fuisse, quod postea, Alemannia a Francis subacta, Theodoricus colligi et in scripturam redigi, Childebertus emendari, Chlotharius perfici, et Dagobertus denique renovari curavit, **) nulli dubitamus: perinde uti Ripuariorum, Bajuvariorum, aliarumque sibi subjectarum gentium jura iidem Francorum Reges successu temporis collegerunt; quod Capitularia Regum Francorum, in quibus leges illae comparent, ***) evidenter testantur. Denique uti in plerisque cum reliquis Germaniae populis convenerunt Alemanni, ita ipsa quoque lingua ab iisdem non fuerunt alieni; quanquam ex variis, uti supra annotatum est, gentibus, et quidem Gallicis praesertim exorti. Recepti scilicet in commune cum Germanicis populis solum, et cum iis

*) Apud Schadaeum in Descriptione Summi Argentoratensium Templi p. 5. Schilter in Observat. ad Chron. Koenigshovii Obs. 9. p. 550.

**) Conringius de Orig. Jur. Germ. Cap. 9. Schilterus in Praefatione ad Jus Feudale Alemannicum, ubi Alemanniam in peculiari plane sensu, pro Meridionali scilicet Germaniae parte sumit; quae vernaculo *das Reich* κατ' ἐξοχὴν appellatur, quaeque adeo Germaniam, quam Romani vocarunt, Primam, Helvetiam, Rhaetiam, Sueviam, Franconiam, Hassiam, Bavariam, Austriam etc. ambitu suo continet.

***) Vid. Baluzium in Capitular. Regum Francor. Tom. 1. p. 54. Add. Schilterum in Not. ad Chron. Königshovii, pag. 623.

iis commixti, facile vicissim communis linguae consuetudinem receperunt. Nec dubitare nos hac de re sinunt tam varia, quae adhuc supersunt, Antiquitatis Alemannicae fragmenta, a Goldasto, *) Frehero, aliisque producta; quibus accedit ipsa nominum, quibus Alemannici Reges in vetustis Scriptoribus insigniti reperiuntur, significatio, quae Germanicam nimirum originem quam maxime redolent. Quarum omnium, quae heic allatae sunt, rerum demonstrationi diutius inhaererem, nisi in plerisque consentientes fere Scriptorum sententias deprehenderem.

*) Rerum Alamann. T. 2. pag. 134. et seq. et T. 3. p. 34. Nec vero alienum erit, ex disputatione *Conr. Sam. Schurzfleischii*, quae inscribitur: *Principium Mosellae Ausonii* haec adiicere: „De *Alemannia* longum est dicere, praecipue si quibus illa spatiis contineatur, quibuscunque finibus ab unaquaque vicinarum regionum distet, commemorare instituam, cum quod eius populi semper incertae sedes variaeque migrationes fuerunt, tum quia tot accessiones deminutionesque finium ibi factae sunt, ut vix in *Alemannia* reperiri posse Alemanniam, multi nec ineruditi viri arbitrentur. Sed omittam in praesens *vetus Alemanniae regnum* quippe exhaustum bellis olim atque penitus eversum: tantum de Sueviae ducatu, in quantum *Alemanniae* nomine insignitur, addam, saepe de eius limite acriter quoque esse disceptatum, Alsatiaene, an *Alemanniae*, an Rauratiae pars haberi debeat.“ Plura ibi cum animadversionibus.

Caput II.

Caput II.

De Rebus Alemannorum gestis usque ad extinctam eorundem Rempublicam.

Hic ergo tam bellicosus, tam vicinus Romano Imperio Alemannorum populus, non potuit non frequentibus cum eodem bellis collidi; labascente praesertim Romanorum potentia; cum vel turbis eorum intestinis, vel ipsa Principum socordia exterorum populorum bellandi cresceret libido. Gallia praesertim, ob insignem coeli clementiam, solique fertilitatem vel remotissimos Orientem versus Septentrionemque Germaniae populos allicere sueta, frequentissimam migrationum, ortorumque adeo hinc bellorum occasionem suppeditavit. Quid mirum, si et Alemanni vel insigni quodam in patriam redeundi amore, vel eadem terrae ubertate allecti, Gallicum occupare agrum quovis modo sunt conati. Praecipua haec sine dubio bellandi cum Romanis eorumque Imperatoribus materia. *)

Antoninus Caracalla. Aera Christ. A. CCXI. coll. cum Aera Capitol.

Agebatur jam annus Urbis conditae DCCCCLXIV. cum Romae imperaret Antoninus Bassianus, Princeps scelerum magnitudine notissimus. Is inter alios, quibus superbivit, rerum gestarum titulos, Germanici nempe, Parthici et Arabici,

*) Ignorat enim fere Historia Alemannorum cum reliquis gentibus bella; quia scilicet Romani Scriptores, de rebus tantum suis solliciti, caetera omiserunt.

Arabici, nomen quoque Alemannici *) sibi adscripsit; **) devictam a se gentem illam fuisse ***) testatus. Silet hujus belli circumstantias historia, ita ut, nisi prope Moenum amnem Alemannos vicisse Bassianum clare memoraret Aurelius Victor, †) dubitaremus fortassis, an unquam viderit Alemannos Caracalla. Assueta enim jam pridem erat Roma, simulatos falsosque, de Germanis praesertim ††), triumphos aspicere, Principumque suorum fictos celebrare titulos, †††) cum tamen amissae plerumque victoriae nullum certius indicium esset, quam quod Romae triumpharetur, quam quod similes tituli assumerentur.

Alexander Severus. Aerae Christ. A. CCXXII.

Sed longe gravius mox, rebusque Alemannorum illustrandis opportunum quam maxime bellum exortum est, imperante Romae Alexandro Severo, Mammaeae filio. ††††) Attrive-

---

*) Cognomentum hoc vix in lapidibus, in nummis vero minime reperio; at cognomen *Germanici.* Vid. Crus. in Annal. Suev. L. 4. P. I. Cap. 12.

**) Aelius Spartianus in Antonino Caracalla Cap. 10. ubi refert, Helv. Pertinacem occasione horum titulorum dixisse; adde, si placet, etiam *Geticus*, quod scilicet Getam occiderat fratrem.

***) Factum id videtur circa A. Chr. 213. aut. 215; computante Aegidio Bucherio in Belgio Romano Lib. 6. Cap. 6.

†) De Caesaribus Cap. 21. et Dio in Eclogis Peirescianis p. 748.

††) Exinde coniicere licet, Alemannos multis abhinc annis hos insedisse terras: alias enim circa A. 213. fieri non potuit, ut Alemanni, praesertim cum Romanis, eiusmodi bella gererent.

†††) Tacitus in Germ. Cap. 37. Plinius in Panegyrico Cap. 11. De Caligula et Domitiano clare id tradunt Suetonius in Cajo Cap. 45. et Tacitus in Agricola Cap. 39.

††††) Herodianus Lib. 6. Cap. 7.

Attriverat hactenus Romanorum vires periculoso cum Persis bello Severus, eo tamen cum eventu, ut ipsi quoque hostes belli pertaesi, jamjam quieturi viderentur, quum nihil tale metuenti optimo Principi nuncius Antiochiam affertur; Alemannos Rhenum Danubiumque transgressos,*) Romanorum fines hostiliter intrasse; oppugnari jam exercitus ripis insidentes; et conterminas Illyrico Italiaeque nationes non parum periclitari. Territus hoc nuncio periculoque Alexander, et de ipsa jam Italia sollicitus, relicto Oriente Germaniam versus profectus est; ingentem sagittariorum numerum secum ducens, qui expediti levesque praegrandia Alemannorum corpora, veluti signum aliquod eminus facile contingerent. Itaque constrato mox navigiis Rheno, omnibusque ad bellum necessariis rite praeparatis, acerrimum jam ultorem expertura videbatur Alemannia; cum, nescio qua consiliorum catastrophe, hostium prius animos sollicitare, missisque ad eos oratoribus, pacem mercari, pudenda plane ratione, decrevit Alexander; hoc ipso exitium sibi suum provocaturus. Alienati enim ab Imperatore, tam turpi facinore, exercitus animi; indignati, aurigationibus ac deliciis tantum intento opportunam rerum gerendarum occasionem eripi; negligi eximium istum, quo milites flagrabant pugnandi ardorem; tantamque Romani Imperii gloriae maculam inuri. Sic proni ad res novandas exercitus animi, haud obscure jam suae defectionis documenta edidere. Militaverat tum in exercitu Romano Maximinus quidam ex Thraciae vico oriundus. Hic ex obscuris prorsus initiis ob corporis proceritatem militiae adscriptus, ad summos paulatim rei militaris gradus conscendit; cumque magna apud exercitum gratia ob insignem, qua praestabat, virtutem bellicam floreret,

*) Germani enim inter Rhenum Danubiumque, de quibus Herodianus loquitur, non alii esse potuerunt, quam Alemanni; qui scilicet, terminis his, uti supra vidimus, inclusi erant. Ipsi ergo Romani Alemannos annumeraverunt Germanis.

floreret, decreta mox Alexandri morte, ab universo exercitu Maximinus Augustus renuntiatus, Alexander vero una cum matre, cujus nimiam apud filium gratiam Romani jampridem detestabantur, occisus est. *)

Maximinus. Aerae Christ. A. CCXXXV.

Translata itaque Alemannici Belli summa ad invasorem Imperii Maximinum. Et ille sane majore, quam crederes, animo tam fatalis belli discrimen aggressus, pari quoque fortitudine felicitateque eidem finem imposuit. Profligatis enim prius, quae contra illum passim exortae fuerant, factionibus, in ipsam mox Alemanniam exercitum trajecit; tanta quidem cum velocitate, ut intra brevissimum temporis spatium latissime cuncta exureret atque vastaret. **) Confugerant ad consuetas Germanorum artes Alemanni, et relicta camporum planitie, in sylvis paludibusque delitescentes, Romanorum impetum expectare potius, quam aperto cum illis Marte pugnare decreverant; tanto sane cum successu, ut Romanis locorum ignaris periculosa illa paludum altitudo videretur, densitasque arborum, omnem sagittis jaculisque aditum praecluderet. Obtinuisset fortassis, quod intenderat, pervicax Alemannia, nisi Maximini virtus, quicquid periculorum, quicquid difficultatis objectum fuerat, uno quasi ictu dispulisset. Verentibus enim Romanis hostes, locorum opportunitate munitos aggredi, Maximinus equo paludem ingressus, tantum reliquo exercitui pudorem incussit, ut coeco mox impetu rueret in hostem, et ingentem ex omni parte Alemannorum stragem ederet; stagno cadaveribus passim repleto, et sanguine navalis cujusdam proelii faciem referente; si non ultra modum rem auxit Herodianus. Adeo certum est, fortitudini nullum locum asperum esse aut arduum, nullum hostem formidolo-

*) Aelius Lampridius in Alexandro Severo Cap. 61. Herodianus Lib. 6. Cap. 9.

**) Julius Capitolinus in Maximino Cap. 12.

midolosum. Virtus omnia domat. Non suffecerat Maximino laureatas literas, tantae victoriae nuncias Romam misisse; sed superbam iisdem addidit ad Senatum Orationem, qua omnes Heroas veteres bellica hac laude superare se gloriatur; *) imo ipsis mox tabulis ex Curia Romana suspensis tam prosperos rerum successus, sibique quam maxime gloriosos, ad futurorum temporum memoriam depingi voluit. Tantum erat Alemannos vincere! Perculsi hac clade Barbari per aliquod temporis spatium quievisse videntur, ut tanquam ex specula quadam Romanorum fortunae insidiantes suasque vires restauraturi, commodam vindictae expectarent occasionem.

Gallienus. Aerae Christ. A. CCLIX.

Et oblata sane illa, quam maxime opportuna, Imperante Romanis Gallieno, Principe voluptatibus deditissimo, rerumque Imperii plane incurioso. Vehementer turbatus tum fuit orbis Romanus, cum, deficientibus certatim ab Imperatore ducibus, variarum regionum exercitus illos triginta Tyrannos, sive Anti-Caesares Gallieno opposuissent, cum furentibus in sua viscera Romanis, vastissima Imperii compages non parum labefactata videretur. Itaque memores injuriae sibi allatae Alemanni, vastatis Galliis, in ipsam mox Italiam irruperunt; **) quod sub Rege Alemannorum Chroco factum esse scribit Gregorius Turonensis, ***) tanta quidem cum saevitia, ut cunctae per Galliam aedes sacrae ab eodem Rege funditus fuerint eversae: secutura mox tantae crudelitatis poena atroci; Chrocus apud Arelatensium urbem deprehensus, diversisque affectus suppliciis gladio tandem percussus. †)

Clau-

*) Julius Capitolinus in Maximinis Cap. 13.

**) Eutropius L. 9. Aurelius Victor de Caesaribus cap. 33. Paulus Diaconus in Historia Miscella Lib. 10.

***) Gregorius Turon. L. 1. c. 32.

†) Hist. Franc. L. 1. c. 30. ubi Ruinartus annotat: Chroci irruptionem alios Saeculi demum quinti initio consignare.

Claudius. Aerae Christ. A. CCLXVIII.

Derivatum fuit bellum hoc Alemannicum in Successorem Gallieni, Claudium, optimum moderatumque Principem, qui Gallieni morientis sententia Imperator designatus scribitur. Hic singulari contra Alemannos felicitate usus, tantam eorum multitudinem haud procul a lacu Benaco *) fudit, ut vix dimidia hostilis exercitus pars ex proelio superesset; periculosumque adeo hostem ex tota ejecit Italia.

Aurelianus. Aerae Christ. A. CCLXX.

Nec tamen redeundi animum, imperante Romae Aureliano, abjecere Alemanni, quos singularis tum Italiam invadendi ardor agitaverat; communi cum aliis Germaniae populis fato. Perciti simili furore Marcomanni, quorum mentibus acceptae ab Antonino Philosopho cladis memoria penitus adhuc insederat. Illi infestis armis Italiam petentes, omni malorum genere in ipsis imperii Romani visceribus grassabantur. Et collatis prima vice prope Mediolanum signis, tanta Romae trepidatio secuta, ut accedente postea infelici ad Placentiam proelio, dies ille maximo post homines natos Imperio prope postremus illuxerit. **) Quodsi Vopisco credimus, confugere tandem ad artes magicas Romani, nec nisi monstris quibusdam speciebusque impliciti Marcomanni vinci potuerunt. Feliciora contra Alemannos fata expertus est Aurelianus. Illi quidem, apud quos etiam nondum obliterata fuerat illatae a Claudio injuriae memoria, maculamque illam quovis modo deleturi, suis pariter Italiam incursionibus vexavere; ***) occupato rebus in Pannonia pacandis Aureliano. Imperator de conservanda

*) Aurelius Victor in Epit. C. 34. Paulus Diaconus Hist. Miscell. L. 10. Cap. 34. Lacus est haud procul Verona ad Athesin: Mincius fluvius eum perlabitur.

**) Flavius Vopiscus in Aureliano Cap. 18. et 21. Velserus Rerum Bojicarum L. 1. p. 66.

***) Aurelius Victor de Caesaribus Cap. 35.

servanda Italia praecipue sollicitus; periculosumque hostem ex ipsis Imperii visceribus remoturus, modico in Pannonia praesidio relicto, Italiam versus perrexit, et in extremis Istriae partibus commisso proelio multa Alemannorum millia delevit. *)

Probus. Aerae Christ. A. CCLXXVI.

At longe tristiora fata experti sunt cum aliis Germaniae gentibus Alemanni, moderante orbem Romanum Aurelio Probo, Principe fortissimo pariter atque prudenti. Grassabantur illi impune, ab aliquo jam tempore per Germaniam Primam Galliamque, limiteque Imperii fracto, firmas in iis sedes stabilituri videbantur; cum a morte Posthumi, per eandem Galliam sub Gallieno Tyranni, nec Claudius, nec sequentes eum Caesares pellere eos inde potuerint. Probus ergo et militum et Senatus judicio Imperator creatus nihil antiquius habuit, quam ut Galliam, vastissimam Romanae ditionis provinciam, ad prius obsequium reduceret; comparatoque undique milite, contractis ex omni Imperio copiis, in eam progressus, tantaque felicitate cum barbaris proeliatus est, ut septuaginta nobilissimas per Galliam Germaniamque Primam civitates, inter quas sine dubio etiam ARGENTORATUM, cum reliquis ad Rhenum Urbibus ab iisdem reciperet; caesis prope quadringentis Germanorum millibus, qui solum Romanum occupaverant, maximaque praedae reportatarumque divitiarum copia gloriosus. **) Nec tum finis caedium factus. Oblati in singula barbarorum capita singuli aurei, tantum Romano militi ardorem injecerant, ut Alemanni cum reliqua Germania territi, jamjam in Provinciae formam redigendi viderentur. Excitati tanto terrore, quem Probi virtus passim diffuderat, novem ex diversis istius orae gentibus Reguli, qui tremebundi ad Imperatoris pedes admoti,

*) Zosimus L. 1. c. 49. ubi loco Istri sine dubio Histria vel scribi vel intelligi debet.

**) Vopiscus in Probo, Capite 13.

moti, quicquid ipsis imperatum erat, obsidum, frumenti, aliarumque rerum promptissimi promiserant. Delevit victor Probus ex eadem Alemannia sedecim millia tironum, eosque per diversas provincias sparsit, militibusque hinc inde Romanis inseruit, ut omnis rebellandi spes tam bellicosis gentibus adimeretur. Hac tam illustri et inaudita victoria late promotus fuit Romani Imperii limes: remotis enim ultra Nicrum Albimque hostium reliquiis, Urbes Romanas et castra in ipso Barbarorum solo posuit Probus; hoc ipso omnes Antecessorum suorum contra hanc gentem victorias longissime supergressus. Aureas, quae ab omnibus Galliae civitatibus Probo oblatae fuerant, coronas cum literis tot victoriarum nunciis Romam misit Imperator laetabundus; in quibus id sibi quam maxime gratulatus est maximus Princeps, quod tam glorioso specimine Imperii a Senatu ipsi confirmati primordia fuerit auspicatus. *) Gallis vero pro praestitis in hoc bello officiis concessit Impera-

*) Vopisc. l. c. 15. literas has refert. *Ago Diis Immortalibus gratias, Patres Conscripti, quia vestra in me judicia comprobarunt. Subacta est omnis qua tenditur late Germania, novem reges gentium diversarum ad meos pedes, immo ad vestros, supplices stratique jacuerunt. Omnes jam Barbari vobis arant, vobis jam serunt, et contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam et quadringenta millia hostium caesa sunt, et sedecim millia armatorum nobis oblata, et septuaginta urbes nobilissimae captivitate hostium vindicatae, et omnes penitus Galliae liberatae. Coronas, quas mihi obtulerunt omnes Galliae civitates aureas, vestrae, Patres Conscripti, clementiae dedicavi, et has Jovi Optimo Maximo, ceterisque Diis Deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate. Praeda omnis recepta est, capta etiam alia et quidem major, quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, et juga Germanica captiva praebent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimo-*

Imperator ut vites consererent, vineas colerent, vinique adeo conficiendi rationem in suis quoque regionibus introducerent; *) cujus rei olim libertas lege Domitiana coërcita, **) ita ut neque in Italia, neque in Provinciis vites plantandi, quantum quisque vellet, licuerit. Atque haec vini colendi ratio ex Galliis ad Germanos transiit; quibus olim potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus erat: cum proximi tantum ripae vinum mercarentur. ***)

Carus, Carinus et Numerianus. Aerae Christ. A. CCLXXXII.

Mortuo Probo, sublatoque immani illo Alemannorum terrore, resumere vires animosque paulatim Alemannia coepit; praesertim cum regente Imperium Romanum Caro, filiisque ejus Carino et Numeriano, fines ejus versus Orientem, Persarum quoque incursionibus debilitarentur. Rediere tum ad pristinos mores Alemanni, et sub Galerio Praeside in Hispaniam penetrantes, Galiis attritis, in Italiam quoque irruperunt; †) Maximiano Herculeo amplissimam mox vindictae occasionem praebituri.

Maximia-

alimoniam gentium pecora diversarum: equinum pecus nostro jam foecundatur equitatui: frumento Barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus. Volueramus, Patres Conscripti, Germaniae novum praesidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus, quod quidem credimus conferre, cum divina providentia nostros uberius foecundarit exercitus.

*) Eutropius L. 9. c. 19. Aurelius Victor de Caesaribus c. 37.

**) Suetonius in Domitiano C. 7. dicit, *ne quis in Italia novellaret, i. e. novas vites plantaret, utque in provinciis vineta succiderentur.* Eusebius ad Ann. 2108. Philostratus in Apollonii vita, 6. 17.

***) Tacitus in Germania Cap. 23.

†) Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniae, in Hispania illustrata Tom. 1. p. 536.

Maximianus Herculeus. Aerae Christ. A. CCLXXXV.

Is a Diocletiano, variis bellis distracto, in societatem Imperii assumtus, Occiduas Romanae ditionis provincias contra barbarorum incursiones praecipue defendendas accepit. Gallia erat, in quam surgentes tum passim Germaniae populi, quodam quasi armorum consensu ferebantur; praeludia insequentium saeculorum; quibus excitati sedibus suis certatim Septentrionis populi Romanumque Imperium inundaturi, Galliam praesertim armorum suorum metam sibi constituerunt. Conjuraverant nempe in ultimam ejus perniciem imperante Diocletiano Alemanni; quos suum ultra Rhenum in Gallia quoque extendendi Imperium cupido jampridem invaserat. Itaque adscitis in societatem belli Burgundionibus Herulisque, trajecto repente Rheno, omnia caede, vastatione atque incendio miscuerunt; *) Manibus popularium suorum, quos ferarum instar Romani haud ita pridem jugulaverant, sanguine Gallico parentaturi. At longe graviorem in hoc bello hostem quam Romanos experti sunt Alemanni. Fames primo atque saevior deinceps pestilentia inconditam multitudinem adortae, magnam ipsi stragem intulerunt. **) Recepit tamen anno sequenti vires suas ferox natio, Rhenoque per hiemem denuo trajecto, Gallicos agros infestavit. Versabatur eo tempore Treveris ***) Maximianus; qui, sumtis raptim

*) Sigonius de Occidentali Imperio L. 1. ad annum 286.

**) Claudius Mamertinus in Panegyrico Maximiano Herculeo dicto, Cap. 5.

***) Inter urbes Metropoles, civili dignitate prae reliquis superbierunt Augusta Trevirorum; sedes aliquando Imperatorum, ipsiusque Constantini, ex non una inde lata lege in Cod. Theodos. Tum Lugdunum, Galliarum Caput; Vienna denique de Primatu certans cum Lugduno, postea et cum Arelate, ex quo haec facta ab Honorio sedes Praefectorum Praetorio; sed dignissima omnium ac vetustissima Augusta Trevirorum, Metropolis seu Mater omnium Galliarum et quasi altera Roma

raptim armis, singulari audacia hostes palatos ex improviso aggressus, praecipiti agmine trans fluvium referre se coegit. Imo tot incursionibus irritatus, in suis Alemannos sedibus opprimere, ad Probi Imperatoris exemplum, decrevit. Nec spem eventus fefellit. Confecto in Rhenum ponte, transmissoque per eum exercitu Alemannos, perpetuis victoriis ad caput usque Danubii debilitatos, ita opibus exhausit, ut non oratorie magis, quam vere Mamertinus pronunciaverit; probasse Maximianum, Romani Imperii nullum esse terminum, nisi qui ejusdem esset armorum. Ita, tropaeis in media Alemannia denuo erectis, per multos annos bellum istud quievit.

Constantius Chlorus. Aerae Christ. A. CCXCI.

Recruduit tamen mox Constantio Chloro a Diocletiano in Imperii Romani societatem assumto. Facilis nimirum erat Alemannis in Galliam interiorem per Rauracos vel Triboccos irruptio; unde nova Romanis triumphandi materia. Constantius Caesar circa Lingonas eodem die adversam secundamque expertus est fortunam; repulsus enim ab initio et adventante mox exercitu auctus, sexaginta fere millia Alemannorum occidit. *) Imo Panegyricus Constantino M. recitatus, dum de patre ejus Constantio loquitur, non modo Lingonicae hujus victoriae meminit, sed et alterius apud Vindonissam in Helvetiis adversus Alemannos obtentae facit mentionem; illosque campos suo adhuc tempore ossibus completos enarrat. **) Quarum contra Alemannos victoriarum occasione Noviomagum

---

Roma sub Constantino; a Vandalis sub Honorio ac saepius deinceps subversa: unde factum, ut Arelatem translata sit sedes Praefectorum Praetorio. Vid. Spanhem. in Geograph. Sacra et Ecclesiastica pag. 156. Blondel de la Primauté en l'Eglise pag. 315.

*) Paulus Diaconus in Hist. Miscell. L. 10. c. 42.

**) Beatus Rhenanus Rerum German. L. I. p. 75.

gum Nemetum sive Spiram, ab Alemannis prius devastatam, a Constantio autem Chloro restauratam nunc fuisse ex monumentis Spirae adhuc extantibus aliisque documentis putat Lehmannus. *) Quodsi Eumenio, Constantii Caesaris Praeconi **) fidem adhibemus, Rex ferocissimae Alemannicae nationis inter ipsas, quas moliebatur, insidias captus est; totaque a ponte Rheni, usque ad Guntiensem ***) Danubii transitum devastata penitus Alemannia.

Constantinus Magnus. Aerae Christ. A. CCCVI.

Qui Constantium patrem in Imperio excepit Constantinus M. Regis Alemannorum Chroci, qui Constantium in Britanniam comitatus erat, consilio †) Imperium cepit. Sed nec ipsi tuta cum Alemannis pax fuit. Illi enim sigillatim primo mox conjunctis cum Bructeris, Chamavis, Cheruscis et Tubantibus armis, immani quadam societate conspirantes, bellum Constantino moverant. At singulari Constantini astu repressi, victorem eundem venerabundi agnoverunt; ††) Regibus eorum captis, quos postea Constantinus, magnificum spectaculum editurus, belluis objecit. †††) Constantini soboles maximi parentis in repellendis hostibus virtutem minime assecuta est. Diviserat ille testamento inter filios orbis Romani provincias; ita quidem, ut Constantinus natu major, cum Constante minore Hispanias, Galliam, Italiam, Africam, Illyricum, Graeciamque acciperet: Orientis vero Imperium Constantius,

*) In Chron. Spirensi L. I. c. XXV.

**) In Panegyrico Cap. 2.

***) Varie legitur Continensis, Contiensis, Cellario ad Guntiae confluentes ille transitus fuisse videtur: addatur Beatus Rhenanus Rer. Germ. L. 1. p. 74.

†) Aurelius Victor in Epit. Cap. 41. ubi Chrocum hunc Erocum vocat.

††) Nazarius in Panegyrico Constantino M. dicto, cap. 18.

†††) Eutropius L. 10. c. 2. et Paulus Diaconus L. 11. cap. 4.

tius, et ejus Caput Constantinopolim cum Thracia et Aegypto. Sed non longa fuit fratrum concordia. Orta inter Constantinum et Constantem de Italia controversia, Constantinoque apud Aquilejam interfecto, Constans, cujus fraude interierat, totius Occidentis Imperium adiit. *) Ille vero, cum nimia morum suorum licentia Magnentio Comiti rebellandi dedisset occasionem, vitam cum Imperio amisit; relicturus unicum in vastissimo Imperio successorem Constantium. Declaraverat interea Magnentius Caesarem, Decentium fratrem; cumque illi Gallias imperio administrandas dedisset, **) Decentius cum Alemannis bello implicitus, et cum Chonodomario, ***) eorum Rege, aequo Marte congressus, ab eodem superatus est; postquam plurimae opulentae clarissimaeque per Galliam civitates, prius vastatae, extremo fere admotae fuerant exitio.

Constantius. Aerae Christ. A. CCCLI.

Itaque Constantio, ad quem solum jam summa Imperii delata videbatur, arma in eandem gentem ferocissimam convertenda erant. Elati enim his tantis successibus Alemanni, sub Regibus suis, Gundomario et Vadomario, crebris excursionibus denuo Galliam, Sequanos, Rauracosque populati sunt. Insederat Rheni ripam Constantius, pontem navibus junctis, super Rhenum straturus, cum subito multitudine telorum hostilium tanquam grandine quodam obrutus Romanorum exercitus, pontis conficiendi consilium mutare coactus fuit. Dubius ita propositi Constantius, ex indice vadosum quendam Rheni locum transituique opportunum intellexit: atque destinata haud dubie perfecisset, nisi nonnulli ex Alemannica gente, quibus honora-

*) Zosimus L. 2. c. 39. sqq. Eutropius L. 10. cap. 5. Socrates Hist. Eccles. L. 2. cap. 25. Zonaras Annal. T. 3. pag. 10. Edit. Basil.

**) Aurel. Victor in Caes. cap. 42.

***) Ammianus Marcellinus L. 16. cap. 12.

honoratioris militiae curam Imperator commiserat, clam populares suos per nuncios de instanti periculo admonuissent. Barbari ergo, accedente auspiciorum auctoritate, quae congressum cum hostibus prohibere tum visa, Optimates, delictorum veniam pacemque petituros, ad Constantium misere, qui, advocata in concionem multitudine, expositisque Alemannorum pacis ineundae consiliis, concordiam inter utramque gentem reduxit; quae solenni foedere, ex gentium ritu confecto, mox confirmata: *) pacatis etiam eodem anno Lentiensibus, Alemannicis pagis, qui collimitia saepe Romana infestaverant. Sed parum tuta atque diuturna fuit haec pax, ex Alemannorum perfidia; qui Galliae scilicet Imperium jam pridem animo agitantes nullam ejusdem occupandae occasionem intermisere. Nec vero Alemannicis tantum armis exposita fuit Gallia. Franci eodem furore perciti, certatim vicinam provinciam, non minus infestis armis, a Saeculo jam tertio invasere. Unde Constantius animi anxius, cum nec cum hostibus se committere, nec florentissimas provincias praedae relinquere cuperet, Julianum patruelem Athenis, ubi literarum studiis maxima cum laude operam dabat, arcessere, Galliaeque Caesarem praeficere constituit; ut illa scilicet acerrimum contra hostes defensorem eundem experiretur.

Julianus Caesar. Aerae Christ. A. CCCLVI.

Quadraginta quinque jam sitas ad Rhenum urbes **) ceperant Barbari, iisque prorsus devastatis, earum incolas cum immensa spoliorum copia secum abduxerant. ***) Erant

---

*) Ammianus Marcellinus L. 14. c. 10. et Franciscus Guillimannus de Rebus Helveticis L. 2. c. 4.

**) Zosimus L. 3. c. 1. quadraginta tantum urbium meminit. Libanius vero in Oratione Consulari ad Julianum, quadraginta quinque urbes a barbaris captas esse dicit. Idem Julianus in Epist. ad S. P. Q. Atheniensem p. 279.

***) Hujus Galliarum vastationis causam Libanius in Oratione

Erant inter illas civitates, ARGENTORATUM, Brocomagus, *) Tabernae, **) Saliso, ***) Nemetes, Vangiones et Mogontiacum. †) Caesar ergo militibus apud Rhenum in unum coactis, per Decem-pagos ††) adversus Alemannos

tione funebri ad Constantium confert; qui, ut Magnentium Tyrannum distineret, datis ad barbaros literis, adhortatus erat, ut Romanum limitem invaderent: quod et Zosimus L. 2. et Socrates, Sozomenusque confirmant.

*) Nonnulli Codices Brotomagum habent. A Ptolemaeo Βρευκόμαγες nominatur in Triboccis. Vetus Peutingerorum Tabula Brocomagum eam appellat. Aethicus in Cosmographia locat Brocomagum inter Argentoratum et Concordiam: hodie *Brumat*, ad Sornam fluvium sita. vid. Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum.

) Tres numero Tabernae recensentur; aliae ad Rhenum, aliae in Triboccis sive Alsatia inferiore, tertiae flumen Navam inter ac Noviomagum seu Nivomagum Mosellanum, dictae Montanae, *Rheinzabern*, *Elsaſszabern* et *Bergzabern*. Montanae vix apud Veteres reperiuntur; ut duae priores notissimae sunt Tabulis Theodosianis seu Peutingerianis. Ipsa quoque Notitia Imperii mentionem facit sub Dispositione Viri Spect. Ducis Mogontiacensis, Praefecti militun Menapiorum Tabernis; quae ipsae scilicet sunt Rhenenses Tabernae, utpote ab Auctore post Saletionem positae. Peutingerorum Tabula Tabernas Alsaticas inter Pontem Saravi et Argentoratum ponit. Itinerarium Antonini inter Argentoratum et Decem-pagos. An Rhenanae, an Alsaticae heic intelligendae, infra (p. 39. Not. *) annotabitur, cum easdem Tabernas postea restauraverit Julianus atque muniverit.

***) Quam eandem esse existimant Eruditi cum Saletione apud Aethicum. Saletio magnum quondam fuit castrum ad Rhenum inter Tabernas Rhenanas scilicet et Brocomagum; hodie vocatur *Seltz*.

†) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 2.

††) Oppidum Vetus in agro Metensi hodie appellatur *Dieuze*,

nos profectus est; itinere fere periculoso: hostes enim locorum gnari, duasque ejusdem legiones adorti, eas delevissent fere, nisi concitatus subito clamor sociorum auxilia advocasset. Itaque magna circumspectione providentiaque rem agendam ratus cunctator Julianus in Germaniam tandem Primam devenit, Brocomagumque urbem primam omnium occupavit; sollicitatusque ab Alemannorum manu, maxima eorum parte, partim deleta partim capta, reliquos celeri fuga salutem quaerere compulit. *) Inde ad castigandos, qui cum Alemannis insolescere sueverant, Francos idem progressus Julianus, Coloniam Agrippinam ante ipsius adventum devastatam occupavit, perterritosque Francorum Reges ad firmandam pacem coegit. His vincendi primitiis laetus Caesar, hiematurus apud Senonas, Galliae oppidum, per Treviros regressus est, receptarum sine dubio plerarumque ex supra memoratis urbibus gloria laetus. Sed longe major reportandarum ex Alemannis victoriarum seges Heroem juvenem jam tum exspectabat. Haeserat ille apud Senonas, cum subito hostilis multitudo oppidi capiundi spe accensa ipsum nec opinantem aggreditur. Terruisset alium tam subitus terror hostium. At Caesar exiguis quamvis copiis instructus, audaciorque factus, et cum armatis dies noctesque inter propugnacula visus, tanta fortitudine urbem defendit, ut post tricesimum diem tristes barbari abeuntes, prudenter obsidionem illam se suscepisse fuissent credituri, nisi Julianum experti essent hostem.

Aerae Christ. A. CCCLVII.

Exacta sic hieme Caesar, tantis successibus elatus, assumto secum exercitus Rectore Severo, longo militiae usu exercitatissimo, fortunam denuo cum Alemannis experiri

---

Dieuze, meminit hujus loci Tabula Theodosiana, Antoninus in Itinerario; Paulus item Warnefridus in Libro de Episcopis Metensibus.

*) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 2.

riri decrevit. Miserat Constantius Augustus Barbationem cum viginti quinque millium armatorum exercitu, auxilia laturum Juliano. Julianus ad Rhemos, Barbatio in Rauracis substitit. Sed Alemanni, neglecto utroque Romanorum exercitu, Lugdunum *) usque perrupere; incautamque civitatem aggressi, opulenta inde spolia ad suos retulissent, nisi viis, per quas ipsis redeundum erat, obsessis, Caesar omni praeda ipsis ablata, gladio omnes percussisset: exceptis iis, quos perfidus Barbatio, et gloriae Juliani hostis incolumes dimisit; ut scilicet virtutibus Caesaris apud Constantium obtrectandi occasio ipsi subnasceretur. **) Et invaluerat sane passim per Galliam murmur; imparem esse reprimendis hostium conatibus Caesarem, minimeque ipsum spei de ipso hactenus conceptae respondisse. Caesar vero altius opus aggressurus, ad reparandas Tres Tabernas ***) animum convertit; ut isto nimirum

*) B. Rhenanus Rerum German. L. 1. existimat apud Marcellinum pro Lugduno forte legendum esse Ebredunum, quod oppidum non procul aberat a Rauracis. Videantur plura scitu digna, quae ad Geographiam pertinent, non solum ad Eburodunum, Ebredunum, apud Kruse in libro inscripto: Archiv für alte Geographie et Alterthümer etc., Heft III. p. 32. sq., 105. sq. sic Lugdunum (Gallorum, Lyon), Lugdunum (Batavorum, Leiden), Lugidunum (Liegnitz in Silesia) confunduntur.

**) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 11.

***) Lehmannus in Chron. Spir. Lib. 1. c. 27. Tres Tabernas has interpretatur de tribus illis diversis locis, quae hodieque nomen illud retinent: Cluverius de Rhenanis intelligit; sed rectius ad Alsaticas haec trahuntur. Ammianus enim munimentum hoc oppositum fuisse dicit, ut a barbarorum incursionibus etiam intima Galliae prohiberentur; quo aperte significatur, non in ripa, ubi Rhenenses, sed interiora versus conditum fuisse; ad radices nempe *Vosagi* montis. Apud Julianum enim in Epist. ad Senat. P. Q. Atheniensem p. 279. sine dubio pro *Barsego* quae vox nihili est, substi-

rum munimento ab ipsis Galliae visceribus arcerentur Alemanni. Contulit eo magnam ex barbaricis messibus fructuum, commeatuum, aliarumque rerum copiam, ut nimirum necessitatibus belli gravissimi providus Imperator diligentissime prospiceret. Interea temporis Barbatio rerum suarum incautior, ab Alemannorum manu fugatus ad Rauracos usque, ex quibus paulo ante discesserat, se recipere coactus fuit. Perrexit Caesar in instituto opere, quod sudes in oculis Barbarorum erat. Illi ergo ex Barbationis modo fuga elati, conjunctis popularium suorum viribus, formidandi hujus castri exstructionem impedire quovis modo conati sunt. Collecti in unum septem fortissimi Alemannorum Reges, Chnodomarius, Vestralpus, Urius, Ursicinus, Suomarius, Serapio, atque Hortarius, unito virium suarum robore, supremo hoc quasi conatu, omne Romanorum in Gallia Imperium, bellica hac inundatione deleturi.

Consedit formidanda haec hostium multitudo ad ARGENTORATUM; ut solo nempe terrore vicinum Caesarem in fugam verterent. Auxerat praefidentem Alemannorum ferociam Scutarius perfuga, qui commissi criminis metu a Romanis ad Alemannos transgressus, tredecim tantum armatorum millia totum Juliani exercitum constituere ementitus fuerat. Minime turbatus hoc nuncio Caesar, in perficiendo Trium Tabernarum monumento quam maxime occupatus. Miserant barbari, superbia inflati, Legatos ad Eum cum mandatis: ut terris illis abscederet virtute sibi quaesitis et ferro. Sed ille irrisa hostium insolentia,

---

substituendum *Vosegus* vel *Vosågus*. Praeterea non potuit tum Caesar restaurare Tabernas ad Rhenum, cum totus ille Galliae limes, Tractus Cis-Rhenanus ab Alemannis tum fuerit occupatus, qui Juliani postea virtute ex illis locis depulsi. Cur vero hae Tabernae Tres vocentur ab Ammiano, fatetur Lindenbrogius non liquere: forsan ad imitationem *Trium Tabernarum*, loci in Italia ad viam Appiam haud procul Roma siti, appellatae.

solentia, detentisque eorum legatis usque ad perfectum castrorum opus, suo constanter proposito inhaesit. Tandem praeliandum erat; percitis pugnandi quodam furore Romanorum animis. Fax atque tuba, totiusque belli agitator ex Alemannorum parte fuit Chnodomarius, qui prae reliquis Regibus, auctoritate rebusque secundis elatus, quod Decentium Caesarem jam olim superaverat, partam sibi et nunc victoriam minime dubitavit. Caesar autem, visa exercitus sui fiducia, obviam barbaris progressus est. Destinati tam raro belli spectaculo ARGENTORATENSIUM campi, in quibus uterque jam consistebat exercitus. Inde Alemannos conspiceres, robustos, feroces, grandissimis corporibus fretos; hinc Romanos longo militiae usu edoctos, cautos, animis fidentes, et omnia audendi paratos. Praeerat sinistro barbarorum lateri Chnodomarius, equo sublimis, et armorum nitore conspicuus; dextrum vero cornu agebat Serapio juvenis, audacia fortissimis haud impar. Hos sequebantur potestate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem, et Optimatum series magna, armatorumque millia triginta, et quinque ex variis nationibus quaesita. Ex altera vero parte Julianus, illustrissimum nunc gloriae documentum editurus, quicquid heroica eloquentia excogitare, quicquid magni Ducis prudentia providere, quicquid fortissimi militis virtus praestare potuit, solus ipse omnia complexus, ordines obequitando, per cornua discurrendo, laureas triumphosque Majorum ostendendo, paratum jam sponte exercitum ita impulit, ut nonnisi cum certissima gloriae fiducia praelium ingrederetur. Magnis utrinque viribus concurritur; descendit equo, certus et ipse victoriae Chnodomarius cum reliqua Regalium Optimatiumque cohorte. Atrox ancepsque diu fuit praelium. Jamque cornu sinistrum Alemannorum agmina rumpere videbantur, cum equites dextrum cornu tenentes, praeter spem omnium inconditi fugere jam incipiunt. Inde ad peditum aciem conversi barbari, durissimum hostem experti sunt. Stetit phalangis instar

et

et caute firmior Cornutorum Braccatorumque exercitus; miles usu praeliorum diuturno firmatus. Redit interea ex fuga, magnanima Caesaris oratione concitatus eques; accedunt celeri cursu Romanis opitulaturi Batavi, manus plane formidabilis. Itaque versa mox praelii facies, et incredibili Caesareani exercitus ardore animositateque, pulsus tandem loco Alemannorum exercitus, vastissimam horribilemque longe lateque stragem expertus est. Inventa sunt in ipso proelii campo sex millia corporum hostilium prostrata; *) plerosque ex fugientibus Rheni unda depressit; qui barbarico cruore decolor spumansque, insolita haec augmenta stupuit, et Simoentis olim ad Trojam instar, correpta tot Heroum scuta, galeasque et fortia corpora se jam volvere miratus est. Caesaris gloria ex eo quam maxime aucta, quod tam exiguo sanguine Romanis constitit haec victoria; quorum vix ducenti et quinquaginta periere. Deprehensus in fuga Chnodomarius, **) qui per caesorum strues elapsus, Rhenum navi trajicere decreverat;

*) Zosimus L. 3. c. 3. plus aequo Juliani gloriae studens, cum infinitam Barbarorum multitudinem Rhenum transjecisse scripsisset; addit mox amplissima retulisse Julianum tropaea, sexaginta millibus hominum in ipso proelio deletis, et aliis totidem in Rhenum praecipitatis. Itaque ad minimum exercitus centum et viginti millium Alemannorum inde exsurgeret: unde etiam victoriam istam non esse inferiorem illa Alexandri M. pugna adversus Darium pugnata existimat. Consentit fere Aurelius Victor in Epit. c. 42. Caesarem cum paucis militibus infinitas copias delevisse, acervos montium similes caesorum stetisse, cruoremque fluminum modo fluxisse scribens. Eutropius L. 10. c. 7. ingentes Alemannorum copias exstinctas refert. At potior habenda fides Ammiano: cui fere consentit Libanius in Orat. funebri in laudem Juliani, qui octo millia Alemannorum in acie scribit interempta, uti locum Libanii ex manuscripto Codice Valesius supplevit.

**) Zosimus L. 3. c. 4. per hallucinationem vocat hunc Vadomarium, qui a Chnodomario diversus plane fuit, de quo Ammianus.

rat; vincti cum eo ducenti Comites. Et ille quidem Caesari oblatus, ab eodem mox ad Constantium missus, Romaeque detentus est; in monte tandem Coelio in Castris Peregrinis morbo veterni consumtus. Julianus vero ex tanta victoria amplissimum Augusti cognomentum, quo concordi totius exercitus acclamatione appellatus est, retulit. Tanta clade nobilitati ARGENTORATENSIUM campi *) frequentissimam Scriptoribus ejus celebrandae occasionem dederunt: quo ipso quoque tempore ARGENTORATUM ex vico per Julianum in oppidi formam redactum esse, nonnulli Ausonii Carmine nixi conjiciunt. **)

Parta

*) Cluverius in Germania Antiqua L. 2. c. 12. p. 44. existimat, non prope Argentoratum, sed prope Concordiam esse pugnatum; pugnam autem istam cognominatam esse Argentoratensem, non quod sub ipsis Argentorati moenibus facta sit, sed quia Argentoratum, quod XIV hinc millia passuum dissitum, praecipua Urbs, dignissima videretur, unde tam nobilis memorandaque pugna cognomentum ferret. At refragatur Historicorum auctoritas. Victoris Epitome c. 42. diserte in campis Argentoratensibus pugnatum esse scribit. Eutropius L. 10. c. 7. apud Argentoratum idem proelium commissum esse refert. Nec dissentit Zosimus L. 3. c. 3. Ipse Ammianus variis in locis idem confirmat, ita L. 15. c. 11. Argentoratum Barbaricis cladibus notam vocat. Idem Argentoratensem pugnam narrat L. 17. cap. 11. Quid clarius his testimoniis, quid evidentius? quae objicit Cluverius, facile diluuntur.

**) Guillimannus de Rebus Helveticis L. 2. c. 4. et Josephus Scaliger in Notis ad Mosellae Ausonii initium putant, Poetam initio elegantissimi hujus Carminis de hac Alemannorum clade ac Juliani victoria loqui: sed hallucinatur. Argentoratum enim jam tum clara Civitas fuisse videtur, deinde Itinerarium Antonini et Tabula Theodosiana aliud iter et stationes *Argentorato* (unde profectum esse putat Ausonium Scaliger) Treverim praescribit. Insuper, quomodo haec verba Ausonii: *Aequavit Latias, ubi quondam Gallia Cannas* — huc quadrant? Nulla certe comparatio fieri potest inter

Cannen-

Parta tam insigni victoria Julianus ad Tres Tabernas regressus est, praeda et captivis in Mediomatrices dimissis. Magontiacum inde progressus fluvium ponte trajecit, et ferro flammaque in terris hostilibus grassatus est: adacti ad pacem Alemanni, veniam impetravere. Data in mensem decimum. Qua fiducia erecti tres Alemannorum Reges, qui praeterito bello auxilia hostibus suppeditaverant, supplices et trepidi ad Caesaris genua accidere, conceptisque ritu patrio verbis, nihil moturos juravere. Ita pace ad tempus firmata, restauratoque, quod Trajanus in Alemannorum solo construxerat olim, quodque jam pridem dirutum fuerat, munimento, *) Parisios ad hiberna rediit Julianus. At Alemanni, cum quibus nunquam tuta pax, occasionibus intenti, occupatis Persico bello Romanis, obliti anno sequenti pacis foederumque, denuo turbas dedere. Juthungi, **) Alemannica natio Italiae

Cannensem et Argentoratensem clades. In illa Romani victi fuerunt, in hac vero hostes. Tandem vox *quondam* longe antiquiorem, quam haec Juliani, cladem Ausonium intellexisse ostendit. Fuit enim hic Ausonius sub Valentiniano I. Praefectus Praetorio Galliarum; unde Poeta illam cladem videtur intelligere, de qua Tacitus Historiarum L. 4. et loco Argentorati intelligendum hic videtur *Bingium* ex loco Marcellini, qui extat L. 18. vid. Freherum ad h. l. Ausonii, Cluverium in Germ. Antiqua L. 2. c. 11. Huic consentit Dionysius Petavius in Not. ad Epist. Juliani ad Athen. p. 101. Vinetus per vicum muris occasione hujus cladis circumdatum, nec Argentoratum, nec Bingium; sed Tres Tabernas intelligit; verum et hic male.

*) Coloniae Trajanae mentio in Itinerario Antonini. De cujus situ magna est inter Geographos controversia. Bilibaldus Pirckheimerus atque Ortelius oppidum Montensis Ducatus, *Keyserswert* interpretantur. Cluverius de vico, qui hodie vocatur *Kellen* L. 2. Germ. Antiq. c. 18. Edit. II. p. 415.

**) In Codicibus Ammiani Vetustis varie scribitur. Sidonius

liae contermina, Rhaetias subito vastaverant; et majora jam minabantur, nisi valida manu submissus Barbatio, barbaros subito disjecisset; redegissetque supplices ad prius redire obsequium. Caesar vero, ut ipse quoque terrorem, barbaris superiore anno incussum, renovaret, compositis inferioris Germaniae rebus, Rhenum rursus transiit, obviumque mox habuit Suomarium, ferocem, saevientemque prius in Romanos Alemanniae Regulum. Is ea lege veniam impetravit, ut captivis redditis, alimenta, quoties necesse foret, exercitui Romano suppeditaret. In eandem quoque formulam receptus in gratiam Hortarius, *) non minus antea in Romanos superbus. Sequenti anno Caesar anxius semper de fide Alemannorum, Hariobaudem, spectatae virtutis Tribunum, legationis specie ad Hortarium misit; consilia Regum in illis partibus investigaturum; Ipso interea reparandis oppidis, castellisque occupato. Intellexerat ex Hariobaude dubias Alemannorum mentes, et ut consueta sua, qua Divum quondam Julium aequabat, velocitate eos praeverteret, Rheno ad Mogontiacum trajecto, tam subito in hostium finibus comparuit, rapinis, caede, incendiisque, tantum longe lateque terrorem diffudit, ut non duo tantum fratres, Macrianus atque Hariobaldus, sed et Urius, Ursicinus, et Westralpus pacem deprecaturi, supplicesque mox comparuerint: in quos acrius fortassis saevitum fuisset, nisi Vadomarium, cujus Regnum versus Rauracos **) erat, et qui antiqua cum Romanis amicitia pridem notus, exoratorem invenissent. ***)

Ita

---

nius in Carmine septimo v. 238. Vithungos vocat. Ambrosius vero, Idatius et Dexippus Juthungos rectius appellant. Iidem sub Valentiniano quoque rebellaverunt, memorante Ambrosii Epistola 27.

*) Guillimannus de Rebus Helvetiorum L. 2. c. 4. Hortarium superiorem, Suomarium vero inferiorem Palatinatum obtinuisse existimat.

**) In Brisgovia et circa Hercyniam.

***) Ammianus L. 18. c. 1.

Ita pacata jam in illis partibus cuncta reputanti Juliano ex improviso affertur nuncius, ipsum Vadomarium, a quo nihil prorsus timebatur, Rhaetias invasisse, et per Romanas provincias impune grassari. Majoris periculi res visa Caesari, qui, ne hujus exemplum Reges caeteri imitarentur, incendium in ipso statim exordio restinguendum ratus, insidiis Vadomarium prehendere decrevit. Consilio respondit eventus. Missus in Rauracos Philacrius, qui tanquam rerum ignarus, Vadomarium specie amicitiae circumveniret. Comparuerat in lautis solennibusque epulis Vadomarius, sed in iisdem re inopinata catenis oneratus, captivusque in Hispaniam missus est. Territi hoc exemplo barbari; sed gravior mox metus ipsis injectus; cum Julianus, ut ultimam victoriis ex Alemannia reportandis manum imponeret, viresque rebellandi hostibus adimeret, ferro, caede, flammaque cuncta passim ibidem vastaret. Fama fuit non proprio ausu, sed ipsius Imperatoris Constantii literis sollicitatum fuisse Vadomarium, promissaque illi trahendi belli subsidia; ut his nimirum rebellionibus Caesar, cui Constantius jam pridem illustria illa bellicae gloriae decora invidebat, distineretur. *) Tam glorioso exitu Alemannica bella Julianus finivit; summotis ex omni Gallia Barbarorum copiis, restitutis Romani Imperii finibus, novoque praesidio confirmatis, paceque undique comparata. Reliquerat Praefectum Praetorio Galliarum Sallustium, et cum in ipsa vastiorum consiliorum agitatione in Orientem proficisceretur, nuncium de Constantii morte accepit.

Valentinianus. Aerae Christ. A. CCCLXIV.

Evectus ergo ad Romani Imperii fastigium Julianus a bellis Germanicis quievit; gravissimo in Oriente bello mox implicandus; ubi, cum post aliquot annorum imperium occubuisset, successorque ejus Jovianus bonus magis, quam strenuus Princeps, vix ultra annum imperasset,

summa

*) Ammianus L. 21. c. 3. et 4.

summa rerum ad Valentinianum I. delata, qui, assumto in societatem Imperii fratre Valente, quem Orienti praefecit, ipse Germanicis bellis invigilans, Juliani vestigiis gloriose institit. Perruperant, sub ipso Valentiniani Imperii exordio Alemanni Germaniae limites, levi ex causa. Missi ad Comitatum Imperatoris Alemannorum Legati. Iis cum leviora, quam a novo Principe speraverant, munera offerrentur; projecere oblata, et ab Ursatio, officiorum tunc Magistro, asperius tractati, justam hanc belli contra Alemannos movendi causam reduces apud populares suos exaggeravere. Primus belli furor in Rhaetiam, Rauracos, Helvetiamque effusus est. Dagleipho ad restinguendum belli orientis incendium missus nihil, quod ad rei summam faceret, effecit. Carietto et Severianus Comites Alemannis obvii male accepti, auctumque sine dubio periculum fuisset, nisi Magister Equitum Jovinus nonnullis successibus rem prolapsam restituisset.*) Tumultuabantur interea et Franci, in quibus debellandis cum occupatus esset Valentinianus, Rando Alemannorum Rex hostilia arma induere et Mogontiacum praedari ausus fuit. Vithicabius quoque, Vadomarii filius, ferox et turbulentus juvenis, inter infesta consilia a domestico trucidatus est. Itaque rebellem toties gentem eversurus ex Illyrico Italiaque confestim copias contraxit Valentinianus; Rheno trajecto, comiteque filio Gratiano, castra apud Solicinium **) posuit. At cum impune cuncta illius Tractus vastare videretur Valentinianus, occurrit ipsi Barbarorum manus, quae aequo diu Marte cum Romanis pugnans, multo Romanorum sanguine effuso, et ipso quoque Valentiniano Imperatore

*) Ammianus Marcellinus L. 27. cap. 1. seqq.

**) Guillimannus de Rebus Helvet. L. 2. c. 5. interpretatur de oppido *Sultz* infra Rotvillam, sinistra Nicri ripa, addatur Rhenanus Rerum Germ. L. 3. Crusius Suevic. Annal. L. 7. P. I. c. 2. p. 159. Solmensem, inter Maguntiam et Treverim, civitatem nonnullos hic intelligere refert.

ratore gravissimum periculum subeunte, fugere tandem, montiumque latebras quaerere coepit.*) Nullum pertinaciorem sane hostem eo tempore Roma sensit Alemannis. Senserat id Valentinianus, qui abjecto hinc fere Alemannos subjugandi consilio, Romanis potius finibus tutandis solerter incumbere decrevit. Viderat ex sanguine Barbarico tam largiter effuso novos quasi hostes renasci. „Omnem ergo a Rhaetiarum exordio Rhenum ad Oceanum usque castris, munimentis, turribusque munivit;**) laudabili omnino et pari fere cum Drusi olim Germanici, qui quinquaginta amplius castella per Rheni ripam direxit,***) instituto: unde sine dubio successu temporis hinc inde urbes, oppida, pagi, vicique passim exorti. Idem ad Nicrum et contra Quados aliosque Barbaros ad Danubium providus Imperator praestitit. Sed nec hac ratione coercitae Alemannorum gentes; instigante praecipue Rege Macriano, cujus hortatu Barbari magis magisque intumuere. Burgundionum erat natio, quae in vicinia †) Alemannorum degebat, et salinarum finiumque causa non semel lites cum illis exercuerat. ††) Hos Valentinianus muneribus promissis induxit, ut collatis in unum viribus ad octoginta millia Alemannis bellum illaturi comparerent; ipsisque adeo Romanis, qui in operibus ad Rhenum exstruendis occupati erant, quorumque exercitus nondum collectus fuerat, formidandi viderentur. Sed cum frustra ad Rhenum haesissent, Romanas copias expectantes, quae com-

munibus

*) Ammianus Lib. 27. c. 10.

**) Ammianus L. 28. c. 2. et Lib. 30.

***) Florus L. 4. c. 12.

†) Idem L. 18. c. 2. Procopius L. 1. Gothic. Mamertinus in Genethliaco ad Maximianum Herculeum.

††) Ammian. L. 28. c. 5. Quas salinas ad fluminis Salae fontem fuisse existimat Bucherius in Belgio Rom. L. 11. §. 8., quod flumen in Hassia apud vicum *Saltz* ortum habet. Quiscunque tamen amnis, cui *Salae* nomen, a *Salinis* id nactus est. Salinas vero olim dictas fuisse a sale, inter omnes constat.

omnibus armis Alemannos aggrederentur, irati Imperatoris moram: domum rediere Burgundi. Excitati tamen his eorum motibus quidam Alemanniae populi, et Rhaetias, Helvetiamque ingressi, Magistro Equitum Theodosio, Magni Theodosii parenti, occasionem dedere, ut levibus congressibus praeliisque eos aggrederetur, captosque ex iis in Italiam transmitteret ubi, ad Padum cultui agrorum destinati. Inter has Alemannorum turbas crevit Macriani Regis potentia; de quo extirpando sollicitus Valentinianus, clam et incredibili velocitate Rheno navibus juncto, copias ipsum oppressuras praemisit; et obtinuisset sane, quod intenderat Augustus, nisi nimio praedandi ardore inflammati milites, eo ipso de fuga Macrianum hortati essent. Ad quinquagesimum ergo lapidem hostiles agros cum vastasset Imperator, voti falsus, moestusque Treverim rediit. *) Ut tamen bello civili istas regiones committeret, Bucinobantibus Regem Fraomarium in Macriani locum imposuit. Sed cum terrae illae nupero Romanorum excursu plane devastatae viderentur, eundem postea Fraomarium, ad Britannos translatum, cum potestate Tribuni Alemannicis copiis, multitudine viribusque tum florentibus, praefecit: quemadmodum etiam Vadomarium, a Juliano olim captum, exercitui Sapori, Persarum Regi, opposito Valentinianus nuper Ducem dedit. Evocavit quoque ad se in comitatum Valentinianus duos Alemannorum Reges, Hortarium et Bitheridem, quos variis militiae honoribus condecoravit. Hortarius non diu in fide perstitit, proditusque a Florentio, Magontiaci Duce, clandestini cum Macriano aliisque Alemannorum Optimatibus commercii, tormentis subjectus, flammisque combustus est. Sequenti anno novum a Valentiniano Alemannis oppositum est munimentum prope Basileam, quod ab accolis *Robur* dictum esse Ammianus tradit. **) Territus tandem Romanorum successibus

*) Ammianus Marcellinus L. 29. c. 4.

**) L. 30. c. 3. quae prima urbis Basileae mentio apud Veteres

bus Macrianus, a Valentiniano Magontiacum accitus, magnoque satellitio in colloquium progressus, oblatas foederis conditiones accepit, easdemque constanter servavit. Finis hic Alemannicis bellis a Valentiniano magna cum nominis fama factus; quem Illyricae turbae alio vocaverant, suprema mox fata in illis partibus obiturum. Relictusque in Gallia Gratianus; quem militari arbitrio Augustum prius salutaverat. *)

Gratianus. Aerae Christ. A. CCCLXXV.

Fatalis haec Magni Imperatoris mors Romano Imperio videbatur. Surrexere passim in Oriente Barbarae gentes, Alani, Hunni, Gothique; quorum exemplo Alemanni quoque excitati. Posthabito scilicet foedere cum Romanis toties inito, vincula rursus rupit Lentiensium praesertim pagus, Rhaetiae finitimus. Haud falsus inter Barbaros percrebuerat rumor, magnam Gratiani exercitus partem in Illyricum missam. Unde Alemannorum animi crevere, redactisque in unum diversorum Pagorum viribus, quadraginta, vel juxta alios, septuaginta millium collectus exercitus. Gratianus hoc nuntio accepto, praemissas in Illyricum gentes revocavit, et reliquas per Galliam dispersas conjunxit, vim vi forti animo repulsurus. Concursum est infestis armis ad Argentariam. **) Diversae prius erant,

---

Veteres occurrit, uti nominis Augustae Rauricorum (Rauracûm), quo Basilēa apud Ptolemaeum L. 2. c. 9. appellatur.

*) Ammianus Marcellinus L. 30. c. 5.

**) Tabula Theodosiana Argentuariam vocat. Aethicus nuncupat Argantouariam quam plerique Eruditi in loco, ubi hodie vicus *Horburg*, sitam interpretantur. Simlerus et Cluverius pro ipsa *Colmaria* habent; quae ipsa autem ex ruinis Veteris Argentariae exorta demum postea videtur. Crusius Annal. Suevic. L. 7. P. I. c. 5. p. 165. in memoriam cladis hujus postea hanc Beati Rhenani Inscriptionem positam fuisse scribit.

IN

erant, Ducum sententiae, aliis bellum trahendum, aliis ruendum in hostes, neque adeo ardorem militum restinguendum esse, existimantibus. Praevaluere horum consilia; tantaque virtute felicitateque ex parte Romanorum pugnatum, ut ex tanto Barbarorum exercitu vix quinque millia evaserint; *) Priario quoque Rege ipsorum interfecto. Triumphum hujus victoriae Ausonius in Mosella sua decantat. **) Auctus hac victoria Gratianus de delenda universa Lentiensium praesertim gente, toties rebelli consilia agitavit. Lentienses tanta clade fracti, et ad internecionem pene jam deleti, resistendique adeo impares, praeruptorum montium cacumina petivere. Quos cum indefesso

IN RVINIS VETERIS ARGENTVARIÆ, AB ALEMANNIS, IN HANC PROVINCIAM IRRVMPENTIBVS, FVNDITVS EVERSÆ (HARBVRGVM IPSI DICTITABANT) QVAM GRATIANI AVGVSTI VICTORIA, CÆSIS HAVD PROCVL HINC XXV. ALEMANNORVM LENTIENSIVM MILLIBVS, ANNO A CHRISTO NATO CCCLXXX. VT D. HIERONYMVS AVTOR EST, CELEBRIOREM REDDIDERAT CIVITATEM: ANTONINO CÆSARI, PTOLOMÆO, MARCELLINO, ALIISQVE, *GOMMORATAM: IN EJVS RVINIS CLARISS. PRINCEPS GEORGIUS, COMES A WIRTEMBERGA etc. HOC ÆDIFICIVM EXTRVI FECIT, ANNO SALVTIS MDXXXXIII. SANEQVAM MVLTIS ROMANÆ VETVSTATIS MONVMENTIS, DVM FVNDAMENTA LOCANTVR, REPERTIS ERVTISQVE. Ammian. L. 31. C. 10. Miramur itaque doctissimam Foeminam, Annam Daceriam ignotae sibi urbis nomen hoc esse scribentem in Notis ad Victorem. Multo magis miramur Andream Schottum, qui oppidum in agro Lemovicum *Argenton* intelligendum hic esse censet.

*) Hieronymus in Chron. ad annum 378. triginta circiter millia Alemannorum apud Argentuariam, oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata esse censet. Consentit Aurelius Victor cap. 47.

**) Versu 422. et seqq.

*) Eg. commemoratam.

defesso ardore persequeretur, fame tandem fatigatos in deditionem accepit; tanto sane cum successu, ut per aliquod inde tempus pacata denuo videatur fuisse Alemannia. *)

Theodosius M. Aerae Christ. A. CCCLXXIX. *Honorius.* Aerae Christ. A. CCCXCV.

Rediit tamen ad arma Imperante Theodosio Magno, quem in avias solitudines Alemannos compulisse Pacatus docet. **) Unde minime mirandum, si nascente Honorio ferocem toto Rheno Germaniam intremuisse; si sub ipso Honorio supplicem nomen ejus implorasse Alemanniam; si Suevis ***) jura dare Romanos scribit Claudianus; †) si denique Stiliconem Rheni et Istri calcatorem vocat. ††)

Valentinianus III. Aerae Christ. A. CCCCXXV.

Sed jam fatale illud Occidentali Romanorum Imperio imminebat tempus, quo Barbaricae gentes inito quasi inter se foedere, distractisque maximis ejusdem Monarchiae provinciis, novam universo Occidenti faciem inducere visae; Valentiniano III. infelici illo Imperatore. Creverat jam ab aliquo tempore Francorum in Germaniae partibus poten-

*) Ammianus L. 31. cap. 18.

**) In Panegyrico Theodos. M. c. 5.

***) De Laudibus Stiliconis Lib. I. Per *Suevos* intelligi saepe Alemannos praecipue apud Ausonium et Claudianum jam supra notavimus: revocato ex antiquitate nomine. Strabonis enim et Plinii aetate generaliori voce *Suevi* vocati sunt populi omnem eum Germaniae Transrhenanae Tractum insedentes, qui ad dextram Rheni superioris ripam ad Moeni Rhenique confluxum, et infra; in Orientem autem ad Albim usque et ultra extendebatur, si Straboni fides. Sed et speciatim strictiorique significatu Rheno viciniores dicti sunt *Suevi.*

†) In tertio Consulatu Honorii.

††) De laudibus Stiliconis.

potentia, qui Rheno tandem superato *) non exiguam Galliae partem armis suis occupaverant. Stimulati horum exemplo successibusque Alemanni, Galliae jam pridem inhiantes, et ad novam nunc fere spem erecti videbantur; duplicem vero hostem Romanos scilicet Francosque experturi. Intervenit hisce consiliis flagellum istud Occidentis, Dux Hunnorum, Attila. Illi ex Scythia oriundi **) inter Pontum olim et Caspium mare habitantes, Valente Orientis Imperium occupante, ad Paludem usque Maeotidem accessere. Inde ulterius in Europam penetrantes, transito Danubio alterna vicissitudine victi et victores, tandem in Superiore Moesia sedem regnumque constituunt. Devolutum postea ad Attilam ***) regnum, qui fratre Bleda occiso, prosperisque eventibus tumidus post Constantinopolim ad extrema actam, Romam quoque, Italiam, aliasque Occidentis provincias in praedam destinavit. Itaque per Pannoniam Germaniamque pleno tandem furore in Galliam ruebat. †) Vastatae in ea immani crudelitate plurimae civitates, actumque fuisset de tota Gallia reliquoque Occidentali Imperio, nisi Aetius, fortissimus Valentiniani Imperatoris Dux, intervenisset. Assumtis ille in societatem Merovaeo Francorum, et Theoderico Visigothorum Regibus, Attilam, qui per Celticam Belgicamque Gallias stra- [illegible] ges

*) Uti Alemanni ex superiore Germaniae transrhenanae parte, ita Franci ex inferiore transmissis Imperii limitibus orbem Romanum infestaverunt.

**) Jornandes de Rebus Geticis cap. 24. Franc. Foris Otto Kocsi Orig. Hungar. P. I. c. 3. Rodericus Ximenius in Hist. Gothorum, Hunnorum et Vandalorum. Joh. Thurocius et Ant. Bonfinius in Chron. Hungar.

***) Prisci Fragmenta in Excerptis Legationum. add. Phil. Callimachi, et Nic. Olahi Attilam.

†) Hac occasione Argentoratum (cum prius *Silberthala* dicta fuerit) nomen accepisse *Strasburg*; quod moenia in quatuor decussatim vias diruta fuerint ab Attila, tradente quamvis Crusio in Annal. Suev. L. 7. Part. I. c. 10. inter fabulas reputamus.

geret, incendia late circumtulerat, tanto daemonum nisu in campis Catalaunicis *) aggressus est, ut centum et octoginta hominum millia in praelio illo perierint. Et quamquam non evidens erat, unde victoria staret, visa tamen magis in Romanos inclinasse, cum reliquam Galliam e furentis belluae faucibus rapuerint, eamque adegerint, conceptam rabiem alio convertere. **) Tristis hic rerum Romanarum status potentiam suam longe lateque diffundendi Alemannis occasio fuit; illi enim ex sepulchris quasi suis resurgentes magnis agminibus Attilam secuti sunt et quicquid in proximis Rheno ab eo relictum, devastavere. ***) Eversae tum tota fere Germania Prima et Secunda, Maximaque Sequanorum. Colonia Agrippina, Noviomagus, Magontiacum, Borbetomagus, Saletio, Brocomagus, Argentoratum, Elcebus, Argentuaria, Augusta Rauracorum, Vindonissa, Vitodurum, Aventicum, multaque alia oppida funditus destructa creduntur; †) ne nimirum reversuri forsan armorum vi in hanc regionem Romani in iisdem oppidis, arcibus, munimentisque defensionem postea contra eosdem Alemannos invenirent. Accedente postea Aetii morte, quem Valentinianus III. occidi jusserat, certam ac duraturam provinciarum Galliae possessionem sibi spondebant Alemanni. Itaque quicquid Galliae Ripensis usque ad Burgundiones (qui paulo ante in Sequanos et Heduos e Germania transgressi, regnum ibi stabiliverant) ††) [illegible] exten-

*) Alii putant legendum *in Campis Secalaunicis*, en *Soulongne* prope Aurelianum. Vid. Mezeray Hist. de France ad A. 450.

**) Jornandes cap. 38. seqq. Paulus Diaconus L. 15. Rediit tamen Anno sequenti Attila et Italiam misere vastavit. Victor Tunnunensis et Idacius in Chron. Nicephor. L. 14. c. 57.

***) Colligitur hoc ex Sidonio Apollinari Carm. I. v. 374., 889. et seqq.

†) A Beato Rhenano et Crusio Annal. Suev. L. 8. P. I. c. 5.

††) Nic. Vignierius Rer. Burgund. Chron. ad A. 409. Lazius de Migrat. Gentium. L. 1.

extendebatur, occupatum. Trans Danubium vero, latissimam illam Rhaetiam Primam, saepe ante tentatam, nunc quoque tandem sibi vindicavere. Nunquam profecto florentiores fuere Alemannorum res, quam eodem tempore; tam late prolatis ditionis eorum pomoeriis; mox tamen in Francorum potestatem deventuris. Continuati sunt tam prosperi rerum Alemannicarum successus imperante Romae Majoriano, *) [Aerae Christ. A. CCCCLVII.] sub quo nimirum jamjam exspirare vastissimum illud Occidentis Imperium coeperat; ut illud scilicet, cujus furor toties in Alemannos grassabatur, nunc in ipso quoque occasu suo eorundem vicissim furorem experiretur. **) Sic tuta jam a Romanorum armis erat Alemannia; quibus cum irruentibus undique populis luctandum erat, quique in praedam potentissimis Francorum, Visi-Gothorum, Burgundionum, atque Alemannorum, armis Galliam deseruere. Et compos fortasse votorum suorum facta fuisset ferox Alemannorum natio, nisi novum periculosioremque mox hostem esset experta.

Reges Francorum.

FRANCI, unita ex variis Germaniae populis natio, ***) jam pridem sedes quoque in Gallia quaesiverant. Orta

*) Sidonius Apollin. cap. 5. vers. 375. et seqq.

**) Caeterum cum Romani toties bellis fuerint collisi cum Alemannis, mirandum, non saepius in Nummis mentionem eorum fieri. Celebris tamen est Nummus Constantini M. in aversa parte exhibens tropaeum, sub quo mulier sedens et lugens, capite in dextram suppositam inclinato, cum Inscript. GAUDIUM ROMANORUM, et infra ALEMANNIA. Item alius Constantini Junioris cum typo Victoriae alatae et palmatae, victum subjectumque hominem laevo pede calcantis; cum Inscript. ALEMANNIA DEVICTA, apud Bertium in Commentariis Rer. German. L. I. Cap. 12. pag. 97.

***) De cujus populi origine diversae sunt Scriptorum sententiae: inter quas illa de variis gentibus in unum foedus

Orta hinc frequentia eorum cum Romanis bella, quibus illi tandem ita praevaluere, ut sub Merovaeo, fortissimo Rege, magnam Galliae partem jam occuparent. Merovaei successor Childericus [Aerae Christ. Anno CCCCLVIII.] de promovendo ulterius regno sollicitus, ut cum aliis gentibus, ita cum Alemannis bello quoque haud infelici commissus est. Sed omnis tandem et quam maxime fatalis belli Alemannici moles in Clodoveum, Childerici filium atque successorem, derivata. [Aerae Christ. Anno CCCCLXXXI.] Hunc inclytum sane fama et bellicis laureis conspicuum Heroem armis impetere statim non ausi, in Sigebertum, Coloniae Regulum, Francum quidem, sed fama et potentia inferiorem, impetum vertunt. Nihilominus Clodoveus Franci Principis et affinis periculo commotus, quod sibi quoque intentari videbat, junctis Francorum et Gallorum copiis, ad hostem contendit, et Sigebertum cum milite advenientem excipit. Tolbiacum *) pagus est haud procul Agrippina Colonia. Ibi pugna supra modum atrox inter fortissimas gentes conseritur. Anceps diu pendebat victoria. Sigebertus, peditum ductor, cruore saucius, magnam apud suos trepidationem concitavit. Omnis ergo proelii vis in Clodovaeum conversa; qui Alemannis undique urgentibus desperabundus, Christi tandem auxilium, quem toties prius contempserat, cujusque Numen Clotildis uxor ejus christiana toties praedicaverat, implorasse scribitur.

Atque

---

foedus trans Rhenum coeuntibus a Cluverio tradita, probabilissima est, a plerisque etiam Eruditis hodie approbata. vid. Monumenta Paderbornensia pag. 82.

*) Sunt, qui locum Gregorii Turonensis, L. 2. Cap. 37. ubi *Tulbiacense* oppidum memorat, corruptum esse volunt, legendumque *Tulliacense* aut *Tullense*, cum Tullum urbem intelligendam putent. Sed non firmis satis rationibus id adstruunt. Henschenius bellum istud prope ARGENTORATUM confectum esse existimat. Vid. Ruinartum ad Gregor. Turon. loc. cit. et Olivarium Vredum in Flandria Christiana a princip. Valesium Rer. Franc. L. 6.

Atque tam magnam rerum catastrophen insecutam memorat Gregorius. Haerent Alemanni, trepidant, cedunt, terga vertunt. Magna strages victoriam insecuta, ipse eorum Rex occisus, nec ante finis caedium factus, quam pacta salute Alemanni Francis victoribus se dedidissent. *) Ita tota fere Alemannia Francici juris facta. [Aerae Christ. Anno CCCCXCVI.] Pars istius populi ob metum Victoris profuga sub Ostro-Gothorum in Italia tutelam, imperiumque concessisse videtur; frustra pro iis deprecante eorundem Rege Theodorico: **) remissi post quadraginta annos a Vitige, eorundem Gothorum Rege. ***) Reliqua autem et maxima pars eorum, qui domi remanserunt, Clodovaeo sese tradentes, Francorum Regibus paruere. Atque hic finis libertatis potentiaeque gentis tam ferocis et tam late olim contra Romanos victoris. Populus ille, qui nihil nisi libertatem olim spiraverat, triste jam servitutis jugum subire

*) Secuta hinc post obtentam victoriam Clodovaei ad Christianorum Sacra conversio; baptismo a Remigio, Rhemensium Praesule, Rhemis peracto: qua occasione chrisma in ampulla e caelo a columba allatum fuisse, Hincmarus Saeculi noni Scriptor in vita S. Remigii tradit; tacente hoc miraculum Gregorio Turonensi. Vid. Flodoardum in Hist. Rhem. L. 1. Cap. 13. et Joh. Jac. Chifletium de Ampulla Rhemensi. Gregor. Turon. L. 2. Cap. 30. Fredegarius Scholasticus Cap. 21. Rorico de Gest. Franc. L. 2. Aimoinus L. 1. C. 15.

**) Causam eorum scripta ad Clodovaeum Epistola egit Theodoricus apud Cassiodorum Variar. L. 2. Ep. 41. Imo eos in fidem receptos sedibusque donatos luculento Panegyrico Ennodius Ticinensis Episcopus Theodorico gratulatus est. Vid. Obrechti Prodromus Rer. Alsat. Cap. 10. p. 212. Atque hinc universam illam gentem a Theodorico subactam male collegit Agathias L. 1.

***) Id innuit Agathias.

subire coactus. *) Et ab eodem tempore Alemannia per Duces, a Francicis Regibus constitutos, recta; unde DUCATUS ALEMANNIAE primordia; qui ipsam quoque tractu temporis Alsatiam complexus est. Nos cum fine libertatis hujus populi huic quoque Commentationi imponimus finem.

*) Lehmannus in Chron. Spir. L. 2. c. XX, originem servitutis in Germania ad hanc Clodovaei victoriam refert.

Fata

Fata Ducatus Alemanniae et Sueviae.*)

I.

Alemannorum origo et appellatio.

ALEMANNORUM origo est Germanica. Nam cum Suevis, a sinu Codano, sive Suevico mari, et regionibus Germaniae borealibus, ad Suevum amnem, digredientibus versus australem et orientalem plagam, et commigrantibus in provinciam Danubium inter, Rhenum, Moenumque, vacuam relictam a Marcomannis, iisque confoederatis populis, se conjunxerunt convenae ex variis Germaniae civitatibus, assumtoque circa Imp. Antonini Bassiani Caracallae tempora, communi ALEMANNORUM nomine, quoniam erant *miscellanei homines*, in societatem bellicam contra Romanos, finium Germanicorum invasores et turbatores, coiverunt.**) Haec eliciuntur ex testimoniis inter se collatis Asinii

*) Non omnibus omnino patet, hunc libellum, quem *Jo. Davidi Koelero*, olim Professori Historiarum Altorfino (posthac Gottingensi) adscribere solent, anno Chr. 1735 *Jo. Frider. Balbach de Gastel* auctorem proposuisse in Academia Altorfina inclyta. Hinc accidit, ut sub finem Editionis novae adjungerentur, quae celeberrimus *Koelerus* tum temporis in laudem viri generosi dixerat.

**) In eadem hac, communi omnium paene Scriptorum, ut *Petavii*, *Valesii*, *Labbei*, *Cluverii*, sententia, etiam

Abinii Quadrati in Agathiae Lib. I. Hist. p. 7. Spartiani in Vita Caracallae c. X. Aurelii Victoris de Caesaribus c. XXI. Vopisci in Proculo c. XIII. Iornandis de Rebus Geticis c. LV. Pauli Diaconi de gestis Longobard. L. III. c. 18.

II.

Regio et amplificati fines.

Sueviam, sive Alemanniam veterem, tertiam veteris Germaniae partem comprehendisse, sanctus Hieronymus dixit in vita S. Hilarionis. Eam ita descripsit Iornandes de Rebus Geticis c. LV.: Nam Regio illa Suevorum ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos. Paulus Diaconus lib. 2. de Gestis Longobardorum c. 15. situm hujus Provinciae ita indicavit: Inter Liguriam et Sueviam, hoc est Alemannorum Provinciam, vel uti alii legunt, Patriam, quae versus septentrionem posita est, duae Provinciae, scilicet Rhaetia prima et secunda, inter Alpes consistunt. Walafridus Strabo, Abbas Augiensis, in prologo vitae S. Galli

---

etiam Schoepflinus fuit, Vir celeberrimus, diss. de Alemanicis antiquitatt. Cap. I. quae est inter Commentatt. ejus historicas et criticas p. 171. Sed fatetur ingenue, *Alsatiae illustratae*, immortalis operis, Tomo I. p. 248. se illi sententiae non amplius subscribere, quod cognoverit ab eo tempore, et Geographiae adversam, et Chronologiae, eam opinionem esse. *Tacitus*, inquit Schoepflinus, in Decumates agros (sive Transrhenanum limitem), romanae ditioni subjectos, non nisi ex Gallia colonos transivisse memorat. Nomen igitur Alemanni tum illis dari non potuit; primo, quod nondum ex diversis nationibus homines, sed meri Galli tractum illum occupassent; secundo, quod populo huic novo, Romani non imposituri fuissent germanicum nomen. Sed et vocabulum *Alemanni*, Tacito, omnibusque Saeculi II. monumentis ignotum, Saeculo III. demum innotuit, etc. conf. p. 376. not. u). et p. 389. not. x).

S. Galli in Goldasti Tom. I. Rer. Alaman. Part. II. p. 233. hanc Chorographiam nobis dedit: Nam juxta Scriptores authenticos, pars Alamaniae vel Sueviae, inter Alpes Penninas et meridianum littus Danubii sita, Retia dicitur. Porro, quod est ad septentrionalem plagam Histri, Germaniae deputatur. Et p. 234. Igitur, quia mixti Alamannis Suevi partem Germaniae ultra Danubium, partem Retiae intra Alpes et Histrum, partemque Galliae circa Ararim obsederunt, antiquorum vocabulorum veritate servata, ab incolis nomen patriae derivemus, et Alamanniam vel Sueviam nominemus. Nam cum duo sint vocabula unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpositae gentes, quae Latinum habent sermonem, sequenti usus nos nuncupat barbarorum. — Secundum itaque hos auctores inter se collatos, et cum Ammiani Marcellini, Sidonii Apollinaris, Isidori Hispalensis, aliorumque medii aevi scriptorum testimoniis, Orientales Alemanniae terminos Naba, Rega, et Licus, amnes, Danubium influentes, constituerunt: ab Occidente Alamannia habuit limites, Ararim Dubimque fluvios, usque ad Rhodanum. Ad Austrum porrecta est ultra lacum Lemanum ad Alpes Rhaeticas, fontesque Rheni: septentrionale vero latus Alamannorum Franci clauserunt, atque Thuringi. Ita Terra Alamannorum vetus, secundum nostri aevi Geographiam, comprehendit pagos Helveticos, Rhaetiam, Sueviam hodiernam, Alsatiam, tractum Spiriensem, Wormatiensem, Metensem, magnam partem Lotharingiae, Burgundici Comitatus, et Franconiae nostrae. *) Vid. Beatus Rhenanus, lib. 2.

*) De his Alemanniae, nunc latius, nunc arctius extensae, limitibus, egregie Schoepflinus, l. c. Periodo Alsatiae Francica, p. 627 seqq. Terminos Alemanniae liberae, inquit, Saeculo V. ante Alsatiam ab Alemannis occupatam, Danubium, Rhenum, Moenumque fuisse, res cognita est. A meridie ergo Rhaetos, sive Rhaeticas Alpes; ab ortu Bajobarios; a septentrione Thuringos et Francos, Alemanni tum habuerunt vicinos. De

lib. 2. pag. 152. CLUVERIUS in Germania antiqua lib. 3. cap. 20. HERTIUS in Notitia Veteris Germ. Popul. part. 3. cap. I. §. 3. Ob hos amplissimos fines, victoriis Alemannorum prolatos, Alemannia in medio aevo fuit vel *cisrhenana*, vel *transrhenana*, more loquendi Romano, vel uti alii eam distinguunt, vel *Burgundionensis*, vel *Teutonica*. Provincia cisrhenana vel Burgundionensis *Alemannia* proprie sic dicta fuit; transrhenana vero, sive Teutonica *Sueviam* specialiter ita appellatam comprehendit. Vid. SPENERUS in notitia Germ. medii aevi c. III. §. 3. et c. IV. §. 31. 32. et TENTZELIUS in hist. vindic. pro Censura Conring. in Dipl. Lindav. p. 317.

III.

Bella cum Romanis.

Alemannorum ex variis gentibus, potissimum vero Suevicis, collecta, populosa, et validissima natio, ex equo inprimis mirifice pugnans, teste AURELIO VICTORE de Caesaribus c. XXI. paruit Regibus, et ab Imp. Antonini Caracallae tempore*) inclaruit gravissimis bellis cum Imperatori-

De Moeno tamen, qui Alemanniam Francis subjectam terminavit, dubitatur, num ille Alemanniam liberam quoque terminaverit, an Lanus? Occiduus limes speciatim Alsatiam concernit. Florentibus Romani imperii rebus, Transrhenanum Vallum eos a Rheno longe rejecerat; Saeculo autem IV. quum Vallum ab illis esset eversum, ad Rheni oram usque habitare coeperunt. Tum vero frequentes ab illis factae sunt in Galliam irruptiones; ita tamen, ut a Juliano et Gratiano, post internecina praelia, semper rejicerentur trans Rhenum, etc. conf. etiam HENR. BEBELII, de pagis Alemannorum, commentationem.

*) Praeclare et de his SCHOEPFLINUS, l. c., ubi Alemannorum in Galliam transitum enarrat, disserit p. 16. 175. 217. 220. 377. 391. 402. 414 seqq. Inprimis copiosus est, ubi narrat, *Barbationem*, Romanorum ducem, victum ab Alemannis, p. 402. Alemannos a Cara-

ratoribus Romanis, usque ad occasum Imperii Romani occidentalis Sec. V. varia fortuna gestis, quae ex Scriptoribus vetustis docte atque eleganter exposuerunt Viri clarissimi, Struvius in notitia antiqu. Sueviae §. LXXXV. seq. et Schoepflinus in Alemannic. Antiquitat. cap. II.

IV.

Bella cum Francis, a quibus victi.

Postea Alemanni *) collisi cum potentissimis Francis ob vexatum Sigebertum, regulum Coloniae, a Clodoveo magno, Monarcha Francorum, ad Tolbiacum **) A. C. CCCC.XCVI. inter-

Caracalla victos, p. 376. a Constantio Caesare, p. 247. 391. a Crispo Caesare, p. 395. a Maximino, p. 380. a Juliano Caesare, p. 216. 402. a Gratiano, 420. Tandem a Stilicone pacati, atque ab Honorio Imp. sub finem Saeculi IV. in foedus Romanorum recepti Alemanni, quiescere aliquantum ab armis visi sunt, ut eo majore deinceps adparatu et fortitudine cum Francis congrederentur: conf. Claudianus, de laudibus Stiliconis L. I. v. 187 seqq.

*) Aliqui etiam Suevos addunt, ut Anonymus, Gest. Regg. Francor. cap. XIV. forte quod essent ab Alemannis in foedus recepti; conf. Du Bos, in Hist. crit. de la Monarchie Françoise, T. II. p. 70 sq. Deinceps nomen Suevorum praevaluit, evanescente pedetentim Alemannico.

**) Medii aevi Scriptt. fere *Tulbiacum* (Zülpich, Zülch) nominant. *Hist. Francor.* II. 37. et III. 8. *Tulbiacensem civitatem* habet; *Tulbiacum castrum* est in Fragment. de Reg. Franc. reb. pie gestis, ap. Du Chesnium T. I. p. 568. Ipse autem locus, ubi atrox haec pugna depugnata est, quonam regionis angulo quaerenda sit, non satis liquet. Henschenius, in obs. ad Vitam S. Vedasti, Episc. Atrebatensis, in Act. Sanctor. ad d. VI. Febr. prope Argentoratum confectum hoc bellum existimat. Gundlingius, ingeniose satis, Gundlingianor. P. III. p. 264 seqq. *Alpiacum*, *Alpzen*, in Alemannorum limite, in pago Wormatiensi, substituit;

interemto in cruentissima pugna Rege suo,*) maxima clade victi, debellati, et sub jugo et tributo**) constituti sunt. vid. Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. II. c. 30.

[illegible]-tuit; confutata Olivarii Uredi, in Flandria Christ. p. 2. sententia, quasi locus apud Gregor. Turon. II. 37. corruptus sit, legique, loco Tulbiacense, *Tulliacense oppidum* (quod est in Lotharingia, Tullum, nunquam tamen Tulliacum appellatum) debeat. Schoepflinus autem, etsi in illustrib. ex Clodovaei historia controversiis, p. m. 376 seqq. Vredi opinionem adoptauerat; tamen, secuto tempore, non solum in *Alemanicis Antiquitt.* p. m. 207. not. y) sed etiam *Alsatiae illustratae* T. I. p. 430. iis accessit, qui, quod Alemanni Sigebertum Regem, qui Coloniae sedem haberet, bello petierint, vicum *Zülch*, *Zulpich*, in ditione Juliacensi, Coloniae vicina, pugnae locum constituunt. Nobis certe etiam propterea probabilis haec conjectura videtur, quod frequens est apud medii aevi Scriptores, litterae z, nominum germanicorum, in litteram *t* commutatio. Non adscribimus exempla, studio brevitatis. Qui istos Scriptores legerunt, eos talia non fugiunt.

*) Forte Gibaldo nomen fuit. Occurrit nomen istud Alemannorum Regis in Eugippii (qui Seculi VI. initio vixit, male a Platina et Sabellico Egesippi nomine insignitus), *Vita Severini*, quem Noricorum Apostolum dicunt, Cap. VI. §. 27. Cum eo Alemanni traduntur, circa haec tempora, Danubium transiisse, ut provincias ultra flumen istud invaderent.

**) Istud non ita accipiendum est, quasi in servitutem redacti a Francis Alemanni fuerint, amiserintque statum libertatis civilis. Duces, abolita dignitate regia, acceperunt; qui, etsi essent Francorum Regibus obnoxii, tamen suis legibus uterentur, et cum imperio genti suae praeessent. Est hic communis Scriptorum Francogallorum error, ubi de Germaniae populis, qui a Francis victi, in communionem Monarchiae Francorum venerunt, loquuntur. Tale quid etiam nuper Brüerius, in *Vita Caroli M.* gallice scripta, de Saxonibus a Carolo, tempore, non bello victis, scribere ausus est; quod confutare non est hujus loci.

Fredegarius Scholasticus c. XXI. Rorico de gestis Francor. lib. II. Aimoinus lib. I. c. 15.

V.

Duces sub Merovingis Regibus Francorum.

Victos Alemannos a Clodovaeo Victore Ducem accepisse, dicit Crusius Annal. Suevicor. P. I. lib. VIII. c. 9. p. 212. citati cladis Alemannicae Scriptores vero hoc non tradunt. *) Ducatus ergo Alemanniae originem Hadrianus Valesius rer. Francicar. Lib. XXIV. p. 476. et Obrecht. in prodromo rer. Alsat. Vol. I. c. X. p. 214. potius deducunt a Clodovaei Successoribus. Sub his enim, tam in codice

*) De primis Alemannorum Ducibus, ita Schoepflinus, Alsatiae illustr. Tom. I. p. 626 seqq. Quamquam sub Clodovaei regimine, primisque adeo Francici in Alemannos Imperii XV. annis, nullius Alemanniae Ducis nomen aut vestigia, in veteri compareant historia: ab ipso tamen Clodovaeo jam constitutum fuisse Alemanniae Ducem, vel ex eo apparet, quod filius ejus, et in Regno Austrasiae (quod nomen tunc temporis exortum), successor Theodoricus, sub cujus sceptro Alemanni degebant, in alemannicae legis pacto, Ducis, Comitum, Missi, Comitis, Centenarii, frequentissimam mentionem faciat: Theodoricus autem, in Prologo Codicis Legum Alemannorum, Bajuvariorum, Ripuariorumque, conditor earundem praedicatur. Nos quoque hanc rationem sequimur, etsi Koelerus h. l. propter Scriptorum veterum silentium, mavult Ducatus Alemannici origines ad tempora Successorum Clodovaei demittere. Alemanniae hunc Ducatum, et Alsatiam comprehendisse, Schoepflinus, l. c. p. 746. et alibi, docuit; dum successu temporis, etiam Alsatia suum Ducem acciperet. Subnectit eo loco Ducum Alemannorum catalogum Vir celeberr. exorsus medio Saeculo VI. a *Leuthario* et *Bucelino*, fratribus, quorum ille ab Agathia Byzantino de bello Goth. L. I. hic a Gregorio Turonensi L. III. c. 32. et IV. 9. memoratur. Qui plura volet, Schoepflini commentaria legat.

codice Legum Alemannicarum, quam in Historicis rerum Francicarum, frequens mentio *Ducum Alemannorum* et *Ducatus Alemannici* occurrit, quorum nomina et seriem operose recensuit PFEFFINGERUS in Vitriarii illustrati T. II. Lib. I. Tit. XVI. n. 8. p. 291. Conf. ECCARTUS Orig. Habsb. Austriac. c. III. LAZIUS de migrat. Gent. Lib. VIII. p. 391. et OBRECHT. l. c. Inclinatis Regum Merowingicorum apud Francos rebus, ac contra invalescente Majorum Domus, ex familia B. Arnulfi Metensis, autoritate et potentia, Duces Alemanniae, horum arrogantia offensi, eos revereri recusarunt, atque omni studio atque vi moliti sunt se subtrahere affectato eorum dominatui. Testem hujus rei locupletissimum profero ERCHAMBERTUM, qui in breviario Regum Francorum et Majorum Domus, in FREHERI Script. rer. Francicar. p. 167. ita scribit: Pipinus junior, filius Ansegisi, veniens de Austrasiis, successit in principatu Majorum Domus. Exhinc Reges nomen, non honorem, habere coeperunt, quibus tamen, uti constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus, ac deinceps, GOTEFRIDUS,*) Dux Alemannorum, caeterique circumquaque Duces, noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo, quod non potuerunt Regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Gotefridi Ducis, Carolus, caeterique Principes Francorum, paulatim ad se revocare illos, arte, qua poterant, studuere. Idem porro scribit de Pipino Heristallo p. 168. Suevos et Bawuarios, Toringos et

*) Hic ille Gothefridus est, inquit SCHOEPFLINUS, l. c. pag. 749. qui defectionis Thuringorum exemplum secutus, occasionem dedisse videtur, ut Alsatia ab Alemannici Ducatus corpore secerneretur. Ex ejus posteris nata Hildegardis, Caroli M. conjux, quam THEGANUS, in vita Ludovici Pii, nobilissimi generis Suevorum puellam nominat. Obiit Gothefridus hic ineunte VIII. Saeculo.

et Saxones, crebris irruptionibus frequentibusque praeliis contritos, suae ditioni subjugavit. Hae enim gentes, et aliae plurimae, multis sudoribus adquisitae, Francorum summo obtemperabant imperio; sed propter desidiam regum, et domesticas dissensiones, et bella civilia, quae in multas partes divisi regni ingruerant, legitimam dominationem deserentes, singuli in proprio solo, armis libertatem movebantur defendere. Quam obstinationem invictus Pipinus Princeps, crebris expeditionibus, utilissimisque consiliis, et frequentibus populationibus, Domino cooperante, compescuit. Post Gotefridum LANTFRIDUS Alemannorum Dux,*) fortiter se opposuit Carolo Martello, sed ab eo victus, et Alemannia subjugata fuit, vid. SIGEBERTUS GEMBL. ad a. 725. Ita etiam Carolomannus et Pipinus Alamannos, Duce THEOTBALDO**) rebellare tentantes, vastata Alemannia compresserunt, vid. ANNALES FULDENSES ad an. 749. Demum LANTFRIDO Duce Alemannorum***) ob rebellionem A. 749. a Pipino in Franciam abducto, desiisse videntur.†) Duces Alemanniae primi. vid. HERMANNUS

*) Hunc HEPIDANNUS in Annal. Luitfridum vocat, quo nomine inductus in errorem fuit ECCARDUS, V. Cl. ut Lantfridum hunc, Alemanniae propriae Ducem, cum Luitfrido, qui illis ipsis temporibus Dux Alsatiae fuit, misceret, in comment. rer. Francic. Tomo I. Quod hic ex SCHOEPFLINI Alsatia illustr. p. 750. adnotamus. Caeterum NAZARIANI Annales, atque HERMANNUS CONTR. mortem Lantfridi hujus I. ad annum DCCXXX. referunt.

**) Hic filius fuit Gothefridi I. Ducis, testib. ANNALISTA METENSI, HERMANNO CONTR. aliis.

***) Hic igitur Lantfridus II. nominari debebat, quod prior jam anno 730. mortem oppetiit, hujus sine dubio pater. Rebellem, Pipinus, secum abductum, jactura libertatis punivit, anno 751. mortuum, referentibus ANN. NAZAR.

†) Immo vero non desierunt. Pipinus enim, Childerico III. Rege Francor. in monasterium detruso, etsi Aleman-

mannus Contr. ad a. 749 et 751. et Regino ad a. 748.

VI.

Duces suppressi a Caroling. Regib. Franciae.

Carolingis Franciae imperantibus, Ducum nomen, ob tot turbas tantamque obstinationem odiosum, in Alemannia plane cessavit. Nam quemadmodum Carolus Magnus Bajoariam, ob assiduas Ducum rebelliones, Comitibus ad regendum

---

Alemanniam in plures distribuisse provincias videtur, tamen singulis singulos Duces dedit. Horum ex numero Guntzo II. fuit, provinciis Augustensi et Rhaetiae Dux impositus, quem memorat Theodorus Eremita in vita S. Magni ap. Goldastum Scr. rer. Alem. Tom. I. P. 2. conf. Schoepflinum l. c. p. 751. Juvat, siquidem non suppeditavit Koelerus justam primorum Alemanniae Ducum seriem, eam ex Schoepflini Alsatia promere. Sunt igitur illi Duces Alemanniae, ad Pipini usque Regis mortem:

Leutharius et Bucelinus, fratres, circa annum DXXXIV.

Leudefridus, ad annum DLXXXVIII. Childeberto II. rebellis.

Uncelinus, quem odium reginae Brunehildis perdidit.

Gunzo, Uncelini Successor.

Chrodobertus, qui Dagoberto Regi adversus Slavos militavit A. DCXXX.

Leutharius II. circa annum DCXLII. ultimus Alemanniae universae Ducum: eo enim mortuo, separata ab hoc Ducatu Alsatia fuit, cui peculiarem Ducem Majores Domus dederunt.

Gothefridus, circa Saeculi VII. extrema.

Wilcharius, Gothefrido rebelli Successor datus, ineunte Saec. VIII.

Lantfridus I., de quo superius diximus.

Theodebaldus.

Lantfridus II.

Guntzo II. in Ducum Alemanniae, a Pipino in partes divisae, serie ultimus.

gendum commisit, minime vero ulterius Duci, vid. EGINHART de Vita Caroli M. cap. 11. ita etiam in Alemannia factum est ab eodem, et Pipino patre. Testatur hoc claris verbis ECKARTUS Junior de Casibus S. Galli cap. 1. in GOLDASTI Alemannicar. Rer. Scriptorib. Tom. I. pag. 40. Nondum adhuc illo tempore (Salomonis, Abbatis S. Galli et postea Episcopi Constantiensis, et Conradi Regis Franciae Orientalis) Suevia in Ducatum erat redacta, sed fisco Regio peculiariter parebat, sicut hodie et Francia. Procurabant ambas CAMERAE, quos sic vocabant, NUNCII: Franciam ad Alpes tum Werinhere, Sueviam autem Bertolt et Erghinger, fratres, quorum utrorumque ditioni subtracta sunt per munificentias Regias in utrosque Episcopos, scilicet in Hattonem Moguntinum, et Salomonem Episcopum Constantiensem. — — Huic (Salomoni) cum aliqua Potamum, Camerae nunciorum Juris oppidum, pertinentia a Regibus darentur, cui Wernhere et Ruodhart Dominum Othmarum, sic ipsi insequi conati sunt et ipsum. Duces etiam Alemanniae plane nulli occurrunt in Scriptoribus, et Chartis antiquis sub Carolingicis Regibus, sed tantum *Comites*. Sic in *Vita S. Magni* a THEODORO scripta cap. 21. et in WALAFRIDI STRABONIS lib. 2. *de Miraculis B. Galli* cap. 15. ap. GOLDASTUM loc. cit. pag. 264. sistuntur Comites, WARINUS et RUODHARDUS, totius Alamanniae curam administrantes, tempore Othmari Abbatis S. Galli, et Pipini Regis. Tales Comites plures etiam leguntur in Chartis antiquis a GOLDASTO editis, in *Alemannicis antiquitatibus*, et in JOACHIMI VADIANI libris de *Collegiis Monasteriisque Germaniae veteribus*. Sub Carolingicis Regibus etiam ab Alemanniae Ducatu divulsa fuit Alsatia, et in peculiarem Ducatum redacta, quod ex divisione Imperii Carolingici ostendit OBRECHT. l. c. p. 218.

VII.

Instaurati Duces a Conrado I. R. Germ. — Horum prima series ex variis familiis.

Extinctis Regibus Carolingicis in regno Franciae Orientalis sive Germaniae, a Conrado primo, Rege, Sueviae Principum assensu unanimi, anno 917. constitutus est Dux totius Sueviae iterum primus

Burchardus, *) Gentis illius nobilissimus, et virtutum dote probatissimus, **) vid. Eckhardus l. c. cap. 2.

Her-

*) Hic Burchardus II. dicendus videtur, nam de Burchardo aliquo I. Duce Sueviae, Herm. Contr. ad a. 912. „Burchardus, inquit, Dux Alemanniae, in conventu suo, orto tumultu, occisus est, pro quo Erchanger Ducatum invasit." Ita etiam Mascovius Vir ill. nominat, Commentarior. de reb. Imp. a Conr. I. usque ad Henr. III. pag. 6. Neque tamen, ignorare nos, quis iste Burchardus I. fuerit, et qua ratione ducatum adeptus sit, pudet fateri. Ekkehardus enim junior, de casib. Monast. S. Galli cap. I. de Conrado I. scribit, nondum adhuc illo tempore Sueviam in Ducatum fuisse redactam etc. Igitur verosimile est, Camerae Nuntium fuisse Burchardum eum, forte et belli ducem; quae conjectura est Illustris Wegelini, Lindav. reipublicae Consulis et Syndici, Viri doctissimi, in Gründl. Historischen Bericht von der Kayserl. und Reichs-Landvogtey in Schwaben etc. p. 5 sqq. conf. et Obrechtum, Prodr. rer. Alsatic. p. 220.

**) Hunc et Alsatiae praefuisse, Schoepflinus l. c. pag. 753. indicat, atque addit, ab eo tempore, ad extinctum usque Saeculo XIII. Ducatum, Alemanniam, Alsatiamque junctas, cum Duce communi, communia quoque fata expertas fuisse. Istud peculiare est, quod ill. Wegelinus l. c. p. 11. not. *) observat, ex innumeris Ducum Sueviae Chartis patere, utplurimum, non Sueviae, sed *Suevorum Duces*, se ipsos nominasse; quod jam Obrechtus prodr. rer. Alsat. p. 228. addito etiam cum tali inscriptione sigillo, observaverat. Perill. D. De Watteville, in Histoire de la Confédération Helvé-

Hermannus Contr. ad a. 917 et 18. et Fragmentum Historicum Alberto Argentoratensi praefixum. Occisus fuit a. 925. ab Hungaris, vid. Hermannus Contr. ad a. 926. Hepidannus ad h. an. Ejus, tam in thoro, quam in Ducatu Alemanniae Successor fuit, auctoritate Regis Heinrici primi

Hermannus, vid. Continuator Reginonis ad h. an. et Hermannus Contr. loc. cit. Post ejus Mortem a. 949. ad Ducatum promotus fuit ejus Gener

Ludolphus, Ottonis I. Imperat. filius. vid. Ditmarus lib. 2. p. 331. cui a. 954. in Ducatu, Patri reddito, successit ex gratia Ottonis primi

Burcardus II. Burcardi I. Ducis filius, vid. Continuat. Reginonis ad h. an. Hoc defuncto an. 973.

Otto filius Ludolphi paternum Ducatum recepit, vid. Hermannus Contr. ad an. 973. Eo mortuo a. 982.

Conradus quidam, ignoti generis, Dux Alemanniae factus est, vid. Hermannus Contr. ad h. a. pro quo mortuo anno 997.

Hermannus *) quidam Ducatum Alemanniae et Alsatiae

Helvétique p. m. 13. de hoc Burchardo ita scribit: Conrad de Franconie établit le prémier Duc d'Alemannie; il choisit pour cet emploi Burkard, qui etoit Comte de la Turgovie et de la Rhetie. In Hergotti, Viri celeberrimi, Geneal. diplom. Gent. Habspurg. Vol. II. p. 69. diploma editum est de anno 924. quod istius Burkardi mentionem facit. Sunt vero et plura, quae ad sequentes Suevorum Duces pertinent, uti pag. 73. 78. 87. quae nos hic, studio brevitatis, non moramur.

*) Hermannus II. De hoc ita Mascovius, Commentarior. de reb. Imp. Rom. Germ. a Conr. I. ad obitum Henr. III. Lib. IV. p. m. 108. „Vulgo Hermannum, filium Otto-„nis, Sueviae et Bavariae Ducis, faciunt; sed nullo „certo testimonio. Contrarium potius colligas ex Adel-„boldi Vita S. Henrici cap. 5.: remansit contentio in-„ter Henricum Ducem gloriosissimum et Herimannum „virum

tiae accepit, qui post mortem Ottonis III. an. 1002. ad regnum Germaniae adspiravit, vid. DITMARUS lib. 5. pag. 367. et lib. 4. pag. 359. Idem DITMARUS, loco priori, caput Ducatus ejus *Argentinam* vocat, quae dicitur Strasburg. Herimanno secundo, filius suus,

HERMANNUS III. juvenis adhuc, a Rege Heinrico Sancto, in Ducatu substitutus fuit anno 1004. vid. ADELBOLDUS in vita Henrici Sancti cap. 42. et DITMARUS restitutus lib. 6. pag. 378. qui an. 1012. defunctus, successorem accepit sororis suae Giselae maritum,

ERNESTUM. vid. HERMANNUS CONTR. ad h. a. qui anno 1015. in venatu interiit, ejusque Ducatum filius aequivocus,

ERNESTUS II. obtinuit, v. HERMANNUS CONTR. ad h. an. et MARIANUS SCOTUS ad h. an. Hic Ernestus II. vero in Conradum Salicum, Imperatorem, Vitricumque suum, licet ab eo beneficiis et muneribus multum sublimatus, socius extitit et foederatus rebellium, *Cunonis*, Ducis Wormatiensis, *) et *Friderici*, Ducis Lothariensis, **) atque semel

„virum potentissimum, sed brevis, et cito finem habitura. Erat namque alter alteri dissimilis nobilitate „et sapientia, facultate et corporis elegantia. — Si Hermannus nepos fuisset Ludolfi, non arguisset Adelboldus nobilitatis discrimen inter ipsum et Henricum. „DITHMARUS pag. 370. eum vocat matris suae Avunculi filium.“

*) Conradi junioris, Ducis Franconiae. Addere debebat KOEHLERUS, Kyburgi Comitem, *Wernherum*, quem HERMANNUS CONTR. ad a. 1030. *caput rebellionis* nominat, et qui eodem hoc anno, cum Ernesto Duce, XVI. Kal. Sept. a Manegoldo Comite in proelio interemtus est.

**) Lotharingiae nimirum superioris, quae post mortem demum Friderici exulis, *Godofredo*, inferioris Lotharingiae Duci, a. 1032. concessa fuit: utque adeo utraque Lotharingia, jam ab Ottone M. in partes duas divisa, nunc iterum sub uno Duce coalesceret.

semel atque iterum contra eum bellum gessit:*) ob quam perfidiam Ducatus dignitate tandem privatus, misere periit anno 1030. vid. WIPPO in vita Conradi Salici, et HERMANNUS CONTR. ad h. ann. Ejus Ducatum suscepit frater suus

HERMANNUS (in serie igitur Ducum Sueviae IV.) qui in expeditione Italica peste gravatus obiit anno 1038. vid. WIPPO l. c. p. 442. et HERMANN. CONTR. Huic successit

HEINRICUS I., filius Imperatoris Conradi, teste HEPIDANNO ad ann. 1044. qui postea electus in Regem Germaniae, contulit Goslariae Ducatum Sueviae anno 1045.

OTTONI, Palatino Comiti: vid. HERMANNUS CONTR. ad h. ann. Eo mortuo, ab eodem Henrico III. anno 1047. Ulmae, Suevis Dux constitutus fuit

OTTO Swinfurtensis: vid. HERMANNUS CONTR. ad ann. 1048. Post hunc ann. 1057. Ducatum Sueviae obtinuit

RUDOLPHUS de RHEINFELDEN, ab Heinrico IV. Rege cum ejusdem Sorore Mathilda: vid. CONRADUS URSPERGENS. ad h. ann. et HERMANNUS CONTR. ad h. ann. Hic oppositus fuit a Principibus Germaniae Heinrico IV. Regi infensis, affini suo et Regi indulgentissimo, anno 1077. sed in praelio ad Merseburgum commisso anno 1080. perfidiae suae poenas dedit.**)

---

*) WIPPO, in vita Conr. Salici ap. PISTORIUM T. III. p. m. 474. refert Primorum Sueviae, quorum auxilia adversus Imperatorem Dux Ernestus sollicitaverat, responsum. Istud tale est, ut liberos se profiteantur, libertatisque suae auctori Imperatori obstrictos. Unde, non inepte, jam his temporibus immediata quaedam Nobilitas fuisse in Suevia conjicitur. conf. quae scribit ill. WEGELINUS loc. cit. p. 11 seqq.

**) Conf. STRAUSSII dissert. de *Rudolfo Suevo, Pseudo-Imperatore*, Lips. 1709. in 4. Ad ea, quae LUDEWIGIUS in Praefat. Tomi IV. reliqu. man. medii aevi p. 54. §. 29. habet de perduelli hoc Principe, stupemus.

VIII. Se-

VIII.

Series II. ex Familia Stauffensi.

Caeso Rudolpho nova series Ducum Sueviae surrexit, eaque Stauffensis. *) Gener quidem Rudolphi, *Bertholdus*, Comes Zaeringensis, Ducatum Sueviae, tanquam a socero sibi concessum, usurpavit: verum eundem Ducatum Imp. Heinricus IV.

Friderico ab Hohenstauffen, Genero suo fortissimo fidelissimoque, concessit, cui de possessione Ducatus collati acriter depugnandum fuit cum Bertholdo, faventibus huic quam maxime Principibus Alemanniae, qui post ejus mortem etiam filium ejus, *Bertholdum II.* Ducem totius Sueviae constituerunt an. 1093. Sed Fridericus hunc Bertholdum coëgit tandem pacem petere (a. 1094.) hac conditione: ut ille Ducatum exfestucaret, sic tamen, quod Turegum (Zürich) nobilissimum Sueviae oppidum, a manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Exhinc Bertholdus vacuum nomen Ducis gessit, ac hoc, quasi hereditarium, posteris, Ducibus scilicet Zaeringensibus **) reliquit: vid. Otto Frisingens. de Gestis Friderici I. Imp. lib. I. cap. 7. 8. 9. Fragmentum Historicum ap. Urstisium Tom. II. pag. 83. Friderico Stauffensi primo ex sua familia Duci Sueviae inclyto successit

Fridericus II. sive Cocles. vid. Otto Frisingens. l. cit.

---

*) Integris annis 189. Ducatus Sueviae in hac Stauffensi familia perennavit; intereunte (Conrado, Conradi IV. filio, capite 1268. truncato), ipso Sueviae Ducatu. Vid. Koehleri diss. *de Familia Augusta Staufensi.*

**) Haec *Zaeringensium* Ducum familia a. 1218. interiit. Ultimi Ducis, Berchtoldi, Rectoris Burgundiae, et loci Turegici advocati et judicis, soror heres, *Anna*, *Wernhero*, Comiti de Kyburg, nupta fuit. Vid. Tab. geneal. gentis Zaeringensium, in Herrgotti Geneal. diplom. Aug. Gent. Habsp. Tom. I. Lib. VI. c. 2. p. 273.

l. cit. lib. I. cap. 10. qui, testantibus variis diplomatibus, se *Sueviae et Alsatiae Ducem* scripsit, et vitam produxit *) usque ad an. 1147. quo in Ducatu eum secutus est

Fridericus III., postea Imperator hujus nominis primus, cognomine Ahaenobarbus, qui patrueli suo, filio Conradi tertii Imperatoris,

Friderico IV. siue *de Rothenburg* **), Ducatum Sueviae resignavit. Hic novellus Dux testis occurrit in multis diplomatibus ab An. 1156. usque ad an. 1167., quo peste est absumptus in expeditione Italica. Anno eodem ei surrogatus fuit

Fridericus, secundus natu filiorum Friderici primi Imperatoris, qui a patre etiam accepit hereditatem Welphonis, et praedium Rudolphi Comitis, Phullendorf. vid. Otto de St. Blasio cap. 21. pag. 207. Ejus varia Diplomata occurrunt in Documentis Wirtembergicorum Monasteriorum; obiit anno 1191. in obsidione Acharonis, socius expeditionis sacrae. Huic successit frater

Conradus II. vid. Fragmentum Historicum ap. Urstisium ad h. ann. Quem secutus est frater

Philippus, ***) auctoritate Heinrici sexti Imperatoris, vid.

---

*) Mortuus in Gallia, sepultus in monasterio S. Walpurgis, in finibus Alsatiae. Vid. Otto Frising. *de gestis Frid. I.* L. I. c. 39. „Fridericus, Dux nobilissimus, in Gallia manens, gravi infirmitate detinebatur, vivendi finem fecit, ac in monasterio, quod St. Walpurgis vocatur, in terminis Alsatiae sito, humatus est.“

**) Hic Fridericus, quem *Continuator Morenae*, de reb. Laudens. ap. Leibnitium Scriptt. Brunsv. T. I. p. 848. Ducem de Rotomburgo nominat, se ipsum, à sede sua, de Rotinburch appellavit. Fuit autem filius Conradi III. Regis Germ. de cujus adepto Ducatu Sueviae vid. Rodericus, de gest. Frid. I. L. I. cap. 6.

***) De Philippi Suevi, vita rebusque gestis, elegantem et multae lectionis commentarium fratris edidit Nic. Hier.

vid. CONRADUS URSPERGENS. ad an. 1197. qui Imperator factus anno 1198. postea anno 1208. occisus est ab Ottone Wittelspacensi. Post hunc Alemanniae Dux fuit

FRIDERICUS, secundus hujus Nominis Imperator, qui postea tradit Ducatum filio suo

HEINRICO, etiam Regi Romanorum ab anno 1220. Huic ob rebellionem exauctorato 1235, et in carcerem, in quo mortuus est 1242. detruso, substitutus fuit

CONRADUS IV. ultimus Gentis Stauffensis Rex Germaniae, quem defunctum anno 1254. excepit

CONRADUS, ab Italis CONRADINUS dictus, postremus et infelicissimus suae familiae Princeps, quippe captus in praelio, pro recuperatione Regni utriusque Siciliae, cum Carolo Andegavensi anno 1268. ejusdem jussu capite truncatus fuit. *)

IX.

Extinctio et dissipatio Ducatus Suevici Stauffensis.

Cum extincto Conradino extinctus etiam Ducatus Sueviae. Nam non solum Sueviae provincia Duce deinceps caruit; verum etiam ditiones patrimoniales Ducum Suevicorum, e Stauffensi familia, regionem Ducalem constituentes,

---

HIER. GUNDLINGIUS, in *Otiis* Tom. II. cui praemisit, de Scriptoribus, ad Historiam Phil. Suevi pertinentibus, prolegomena.

*) De infelicissimi Principis cruenta caede, legi meretur M. PETRI de PRETIO, Vice-Cancellarii Conr. IV. Rom. Regis, *de fatali casu Conradini*, *Adhortatio ad Henricum illustrem Landgr. Thuringiae, et Marchionem Misniae*, edita a SCHMINKIO, Lugd. 1745. 4. Sed etiam a GUNDLINGIO, Parti V. Gundlingianorum, p. 417 seqq. Germanica commentatio inserta est, hoc titulo: Anmerkungen von dem letzten Herzoge in Schwaben und dessen Schicksaal; qua varii Scriptt. istius historiae errores corriguntur, simul vero et dies Conradini em rtualis, nimirum V Nov. p. 453. stabilitur.

tuentes, plane dissipatae, et ad alios Dominos translatae sunt.

Hujus fundi calamitas jam coepit in Philippo Augusto, ditissimo sane Principe. Ita enim ipse opes suas immensas recenset in epistola ad Innocentium III. Pontificem, quae legitur in *Registro hujus de negotiis Imperii n.* CXXXVI. p. 747. „Indubitanter enim credere potestis, immo vere scire, quod tunc inter omnes Principes imperii nullus nobis ditior, nullus potentior, nullus gloriosior. Habuimus enim tot ministeriales, quod nos eos sub aliquo certo numero vix comprehendere potuimus. Habuimus pecuniam multam nimis in auro et argento, et multis gemmis pretiosis. — Benedixerat quoque nobis, et crescere fecerat et auxerat domum nostram. Haereditas enim multa ceciderat nobis in praeclaris, ideoque necesse nobis non fuit, ut nos ambitiose laboraremus pro imperio obtinendo.“ Tam amplissima bona ergo possedit Philippus, adhuc Dux Sueviae, ut aequarent bona palatina, quae eo tempore ad Imperatores, pro sustentanda curia, pertinebant. Cum vero ipsi esset decertandum cum *Ottone* Brunsuicensi, aemulo, de Imperio Teutonico, gravi ac diuturno bello, ita suas vires exhausit tam donis ac erogationibus, quam stipendiis copiosis, ut ex divite Duce egenus fere fieret. Clare hoc dicit Conradus Ursperg. in Chron. sub titulo, de bellis Philippi, p. 324. „Hic cum non haberet pecunias, quibus salaria, sive solida, praeberet militibus, primus coepit distrahere praedia, quae pater suus, Fridericus, late acquisierat in Alemannia: ita, ut cuilibet baroni, sive ministeriali, villas seu praedia rusticana, vel ecclesias sibi contiguas obligaret. Sicque factum est, ut nihil sibi remaneret, praeter inane nomen dominii terrae, et civitates seu villas, in quibus fora habentur, et pauca castella terrae. *)“

Aliam

*) Non debebat negligere *Koelerus*, etiam Friderici II. Imp. fata adversa inter causas dissipatorum domaniorum

Aliam occasionem dissipationis terrarum, quae penes Ducalem familiam Staufensem fuerant, subministravit *Wilhelmus* Batavus, Rex, qui Conradum Regem A. 1252. proscripsit, omnibusque bonis, quae ab imperio tenebat in feudum, et allodiis privavit, vid. INNOCENTIUS IV. Papa in epistola ad Wilhelm. in RAYNALDI Annal. Ecclesiast. T. XIII. ad a. 1251. n. XI. p. 606. et n. XVIII. p. 619. Autoritate ergo regia, praeda erant invasorum et hostium ditiones Sueviae Ducum Staufensium,*) vix saluis exiguis reli-

rum Staufensium reponere. Cum enim An. 1212. ope Episcopi Curiensis, Abbatis San-Gallensis, Comitis Kyburgi, Episcopi Argentinensis, aliorumque, transgressis Alpibus, in Germaniam rediret, recuperaturus cum Regno etiam avitum Sueviae Ducatum, multa, etiam de patrimonio suo, erogavit, ut clientum turbam augeret. Narrat haec CONR. de FABARIA, in casibus S. Galli p. 77. item CONR. URSPERG. p. 319. ad a. 1212. his verbis: „Frid. Imp. electus, cum non posset directo itinere venire in Alemanniam, venit in Rhetiam Curiensem, ibique receptus ab Episcopo, et abbate S. Galli, et nobili viro de Sacco, perductus est usque civitatem Constantiam. Audito vero adventu ipsius, Otto Imperator interim venerat de Thuringia, volens comprehendere aut interficere adversarium suum, ipseque manebat in oppido Uberlingen, sed a multis derelictus, non poterat occurrere saepe dicto Friderico ad pugnam. Unde factum est, ut auxilio Comitis de Quiburg, et aliorum, quibus ipse Praedia Imperii, et paterna, longe distribuit et obligavit, *usque Basileam veniret.*"

*) Insignis est locus Fragmenti Urstisiani p. 92. qui huc pertinet. „Conradus Rex, fugiens, amisit multos Milites, et maxima Bona, et imposuit Suevis, qui cum eo venerant, et cum multis amissis fugerant, quod ipsi eum infideliter prodidissent. Suevi proinde, ira moti, conspiraverunt cum ecclesia et Rege Henrico (Raspone, Landgr. Thuringiae), moventes bellum in Regem Conradum, et suos fautores per Sueviam, et circa Danubium et Mogum, et ubique — et Suevi fugaverunt eum de civitate in civitatem." Adde ALB. STAD.

reliquiis, quas nepoti aegre servavit Ludovicus, Bavariae Dux, qui ipse ex his postea aliquot insignia loca sibi acquisivit, ut docet ex antiqua charta Aventinus Ann. Bojic. Lib. VII. c. 8. quae ita sonat: Conradus D. Gr. Hierusalem et Siciliae Rex, Dux Sueviae, castrum, civitatem Verdunum in Suevia (Werd), Laugingen, Hochstadium, Morinos (Mehringen), Pittengam (Dictigau), Schongiam (Schoengau), Schwabeck, Ambrones (Amergau), Fauces (Clausen sive Fyessen), quae Ottoni, regulo Bojorum, avo suo materno, Conradus genitor, millibus unciarum auri sexdecim, quod est nostratis pecuniae aureoli millecenties duodetricies, oppignorarat, Ludovico Bojo avunculo suo vendit. Datum nono Kal. Novembr. A. C. MCCLXVI. Conf. Crusius Annal. Suevic. P. III. Lib. II. c. 17. p. 111. — Eadem fere loca dotis loco attribuerat Conradus Rex uxori suae Elisabethae Bojae; quod cognoscimus ex Diplomate Wenceslai, Regis Bohemiae, de A. 1291. in Gewoldi Tr. de Septemviratu c. IX. „Videlicet: oppidum Schongow, Curia super monte, Curia Stauffe, villa Iglingen, villa Durncheim, villa Moeringen cum tota Heybische, Castro Swabekke, Castro et oppido Swebiswerde, Castro Capfheym, oppido Novoforo, cum toto officio Perengow, Novo Castro et Castro Schonenberch, quae praedictus Rex Conradus pro dote et in dotem Elisabeth, uxori suae, matri videlicet Conradi, filii sui praedicti, ac illustrium Principum praedicti Domini Ludowici, et felicis recordationis Domini Henrici Ducum Bawar. sorori assignavit.“

Post miserandam caedem postremi Ducis Suevorum, Conradini *) plane dispersum fuisse relictum patrimonium Stauf-

---

Stad. p. 318. „liberi et Ministeriales a Conrado recesserunt, ita quod quasi exul et profugus de Suevia, in Bavaria moraretur.“

*) Conradinus, omni eo tempore, quod a morte patris, effluxerat, variis modis recuperationem Suevici Ducatus

Stauffense, omnes uno ore tradunt Historici, et magnas accessiones Comitibus Würtembergicis, Marchionibus Badensibus, aliisque vicinis Imperii Ordinibus ex hoc fatali fortunarum naufragio transcribunt. Pro omnibus hic loquatur Crusius l. c. P. III. Lib. II. c. 20. p. 123. „Postquam — cum Conradino — Ducum Sueviae stirps concidit, Ducatus hic Imperio venit: sed tamen in multas partes est distractus, ut etiam nunc apparet. Rudolphus Habspurgensis, postea Rom. Rex, et Sueviam et Austriam accepit, filiis suis tradens: illam Rudolpho, hanc Alberto, Duces nuncupans. Sed tamen tota Suevia, et quae ad eam pertinuerant, non amplius una remanserunt. Dilapsa sunt alia alio: sicut nihil in rebus humanis perpetuo conjunctum manet. Venerunt etiam Dominia, quae Duces Sueviae in Turgovia et Zurichgovia, alibique in Helvetia, habuerant, in potestatem Habspurgensium Comitum. — Sic Pforzheimium et Zella, quae pertinuerant ad Ducatum Suevicum, post mortem Conradini pervenerunt ad Marchiones Badenses." Potest ergo non incongrue dici, de dilaceratis post exitium Conradini regionibus Stauffensibus, quod Martinus Papa in sententia excommunicationis in Petrum Arragonium, de familiae Augustae Stauffensis interitu pronunciavit apud Eberhardum Altahensem, ad An. 1282. „Altissimus scelestam Friderici domum, quae consueverat quantumvis multis abundare personis, sic paene redegit

---

tus, quem Wilhelmus Imperio adservisset, tentaverat. Sed frustra fuit; plerisque illarum regionum urbibus jam libertate gaudentibus. Est in Wegelini historia Landvogtiae Sueviae Tomo II. n. 113. Mandatum Conradini Ducis Sueviae, ad Ministrum et Civitatem Memmingensem, super decimis majoribus et minoribus, de a. 1266. ex Archivo editum, ex quo patet, Memmingam aeque ac Turicum (quae urbs primum omnium rebellaverat), aliasque urbes, obsequium Conradino denegasse. Igitur, jam ante ejus caedem, dissipata domania Staufensium, ipseque Conradinus contemtim a Suevis habitus fuit.

redegit in nihilum, sic illam jacturam ultimo dissipationis oppressit, ut de ipsa non ulla scintilla remaneret.

X.

Imp. Rudolphi I. studium in Ducatu Suevico instaurando.

Pertinet ad immortalem Imp. Rudolphi Habsburgici, Instauratoris Germaniae optimi maximique, gloriam, quod Sueviae Ducatum, hactenus tam misere habitum, et dissipatum, inprimis respexerit, et ditiones Imperii *) ab eo in turbulento interregni **) magni statu variis modis ablatas, colligere, et ad Imperium revocare, omni studio atque cura annisus fuerit. Ita enim hoc testatur de eo Eberhardus Altahensis ad An. 1277. Cum praedicto Rudolpho, Romanorum Rege, omnes Comites et Barones, et Communitates civitatum et civium de Rheno, Franconia, Suevia et Bavaria se sponte subdiderunt, ei fidelitatis jurando homagia, castraque et civitates, et terras, quas tempore vacantis Imperii, scilicet a temporibus Friderici

*) Recte. Nam, quae genti Hohenstaufiae propria fuerunt, quaeque, nulla Imperii injuria, donare, oppignorare, vendere, aut quovis alio titulo alienare, tamquam domini in re sua, poterant Staufenses, de iis nil quidquam Rudolphus Imperio vindicavit. Coaevi Scriptt. quotquot ejus rei meminerunt, de bonis Imperii loquuntur, de proprietatibus Staufensium tacent. Vid. Ger. a Roo Annal. Austr. pag. 21. Koenigshoven in Supplemento ad Chron. Alsat. p. 430. Adde, qui haec uberius prosequitur, Wegelinum, loc. cit. Tom. I. pag. 151 seqq.

**) Haec *Interregni magni* adpellatio evanuit, posteaquam illustr. Gebauerus, in Vita Richardi Anglici, omnem eam notionem ita evolvit, ut vix breve aliquod interregnum, tantum abest ut 19. annorum, a morte Conradi IV. quemadmodum adhuc computaverant Scriptores, supersit. Istud hic monuisse sufficerit.

derici olim Imperatoris, occupatas tenuerant, sibi voluntarie resignarunt. Qui non sponte restituere volebant occupata Imperii loca, et foedere facto potius ea retinere et defendere conabantur; hos armis coëgit ea omnia reddere. Hinc bellum exortum cum coadunatis et valde instructis comitibus Sueviae, sed mox feliciter confectum, quod recensent HISTORIA AUSTRALIS PLENIOR ad A. 1276. CHRONIC. COLMAR. P. II. p. 42. et GERH. a Roo in hist. Austr. p. 22 seqq.

XI.

An Imp. Rudolphus filium suum Rudolphum creaverit Ducem Sueviae?

An etiam gloriosissimus Imp. Rudolphus I. filium suum secundo genitum, RUDOLPHUM, *Ducem Sueviae* appellaverit, in comitiis Augustanis celebratissimis A. 1283. nondum res est plene transacta inter Historicos recentiores. In hoc Rudolpho a benignissimo patre Augusto renovatum fuisse Ducis Sueviae nomen, HISTORIA AUSTRALIS tradit ad A. 1282. his verbis: Rudolphus Rex Augustae curiam celebrat, ibique, de consilio et voluntate nobilium, qui aderant, Albertum, filium suum, Ducem Austriae et Styriae constituit, et RUDOLPHUM DUCEM SUEVIAE CREAVIT. Haec repetunt CHRONICA AUSTRALIS ad A. 1283. GERH. a Roo, FUGGERUS, et fere omnes Scriptores Austriaci. Verum enim vero, hoc consensu tot Historicorum in hoc facto nondum convicti sunt illi, qui, collatis inter se Scriptoribus, observarunt, *) adesse etiam non levis

*) Est in his ill. WEGELINUS, l. c. Tom. I. Sect. VIII. quam inscripsit: „Von dem Ankunffts-Titel, oder auf was Weise die Landvogtey in Schwaben an das Erzherzogliche Haufs Oesterreich erwachsen sey." Hac igitur Sectione, §. VI. ostendit, Rudolphum Habspurg. Filiis suis, neque de Staufensi domanio, neque de Ducatu Sueviae, quidquam potuisse concedere; §. VII. autem

ævis momenti Historicos, qui de collato in Rudolphum Ducatu Sueviae ne verbulum quidem dicunt. Talis est EBER-

---

autem demonstrat, Traditionem veterem, de Restauratione atque Investitura Ducatus Sueviae, bono Rudolphi junioris facta, fabulam esse, quam fere e Chronico Australi ap. FREHERUM T. I. subsecuti Scriptt. descripserint, ut FABRI, in Hist. Suev. L. I. c. 13. CUSPINIANUS, in vita Rud. I. Caes. p. 355. FUGGER, im Spiegel der Ehren etc. GERH. a Roo, Annal. Austr. L. I. p. 31. et quotquot paene de rebus Helveticis atque Habspurg. commentati sunt. Eam fabulam, trecentis propemodum annis creditám, recentiori aetate celeberrimos rerum German. Scriptt. SPENERUM, STRUVIUM, HAHNIUM, ISELINUM, in not. ad Tschudii Chr. Helv. atque inprimis PESLERUM, celebrem nuper apud Francof. ad Viadrum Professorem, in Commentatione de Augustae Gentis Austriacae Ducatu et Principatu in Suevia, solidissimis argumentis, quorum summa §. XXII. legitur, confutasse. Fuisse tamen alios (ut COCCEIUM, SCHILTERUM, JO. PETR. DE LUDEWIG, HERTENSTEINIUM, in dissert. de Ducatu Alemanniae et Sueviae cap. VI. et in observation. historicis de Sereniss. Domus Austriacae Principatu in Suevia), qui offensionem veriti, si fabulam fabulam dicerent, in eo elaborarint, ut, media quasi via incedentes, docerent, Rudolpho juniori non quidem Sueviae Ducatum, qualem Staufenses habuissent, Ducis tamen axioma concessum fuisse; dum, secutis temporibus, Ducis titulus (qui, in tanta Statuum liberorum Sueviae copia, inanis videbatur), cum altero, Principis, commutaretur. Certe, recentissimi rer. Austriac. Scriptores, de omni re ea ita loquuntur, ut fidem fabulae denegare ipsi haud difficulter intelligantur. Ita HERRGOTTUS, Vir celeberrimus, quem honoris et amicitiae causa nominamus, Geneal. diplom. Aug. Gent. Habsp. Tom. I. p. 204. „De Rudolfo, inquit, filio Rudolfi Rom. Regis, plu„rima memoriae prodita inveniuntur ap. Scriptt. rer. „germ., quibus diutius immorari necessum non duci„mus; in praesentia solummodo advertentes, praeter „Ducatum Austriae, *Sueviae quoque Ducatum eidem* „*a nonnullis Scriptt. vindicari.* Interim, intra fines

 „monu-

Eberhardus Altahensis ad A. 1281. scribens: „Eodem anno ipse Rex Rudolphus exivit terra Austriae, et ipsum Ducatum Alberto, filio suo primogenito, commendavit, sed postmodum eundem Ducatum eidem Alberto et Rudolpho, filiis suis, in feudum obtulit coram Principibus suis, super hoc Augustae in curia congregatis.“ Huic adjungendus Albertus Arg. pag. 101., inquiens: „Ducatum Austriae, quem occupavit Ottocharus, Rex Bohemiae, contulit Alberto et Rudolpho, filiis suis.“ Hi ergo diserte dicunt, Rudolphum ad simultaneam Austriae Ducatus infeudationem admissum fuisse, nulla mentione facta Ducatus Suevici

„monumentorum nostrorum, more solito, nos continemus, etc.“ Quid hoc est aliud, quam, monumenta Austriaca, Hergotto visa, ignorare Sueviae Ducatum Rud. juniori concessum. Sigism. Calles S. I. Vir doctissimus, Annal. Austriae P. II. p. 588. de Rudolpho Habsp. locutus, *promisso*, inquit, *filiorum alteri* Suevici Principatus titulo, *simul et animos pacavit Procerum, et filios Principum Imperii juribus honestavit.* Testem citat Hornecium c. 200. ubi Scriptor hic Rhythmicus, Rudolphum, ita inter alia Principes Imperii alloquentem sistit:

Ich han der Sune zwen
Wan dew tailent irew Lannt
Do soll ainer Herr werden:
So sol von Swebischer erden
Der ander Furst haissen etc.

In Indice autem, sub Rudolphi jun. nomine, dicit, fuisse inter Principes Imperii adscriptum, *nomenque Ducis Sueviae tulisse.* Ex his, nisi vehementer fallimur, satis intelligitur, doctissimum Annalium Scriptorem, qui hoc loco opportunissimo, omnem de Ducatu Sueviae in jun. Rudolphum collato traditionem, fide monumentorum, si forte posset, corroborare debebat, id cum facere neglexerit, atque aliter in Indice, aliter in Contextu loquatur, quod titubare est, quidquid est narrationis ejus, in medio relinquere. Argumenta traditioni adversa, Koelerus h. l. recte expressit. Qui plura volet, Wegelinum legat, loco jam excitato.

vici eidem assignati. Confirmantur in hac sententia Formula Dispositionis inter hosce filios suos Imp. Rudolphi, quam protulit Lambecius in Appendice III. Commentar. Biblioth. Aug. Vindob. p. 330. quae ita se habet: „Ein „Ordnung von Künig Rudolphen Römischen Künig zwi„schen seinen Sühnen, Hertzog Albrechten und Hertzog „Rudolfen von Oesterreich, nachdem er ihnen die Oester„reichischen Land geliehen, darin er ihm dann ferner „Ordnung, seinem Gefallen nach, fürzunehmen vorbehal„ten hat, inhaltend: Hertzog Albrecht und seine Sühne „sollen die Nieder-Oesterreichische Land allein regieren, „so fern aber der Künig seinem Suhn, Hertzog Rudolphen, „innerhalb fünf Jahren nit mit einem Künigreich oder an„dern treffentlichen Fürstenthum versieht, so soll ihm „sein Bruder, Hertzog Albrecht, eine Summa Geldes ge„ben, wie der Vater mittler Zeit ausspricht, wär aber das „Fürstenthum kleinfüeg, so soll ihm Hertzog Albrecht aber „eine Summa Gelts, nach erkäntnüs des Vaters, zu einer „Zubufse herausgeben, doch in allweg, wann Hertzog Al„brechts Manns-Stamm abgieng, dafs Hertzog Rudolphen „Mannsstamm, alsdann in die Regierung ermeldter Oester„reichische Lande angange. Wo Hertzog Albrecht seinem „Bruder das gesprochene Gelt nicht bezalte, so soll diese „Ordnung ab seyn; und Hertzog Rudolph zu halber Re„gierung der Nieder-Oesterreichischen Land kommen; Inn„halt der Küniglichen Belehnung etc. etc. Datum Rhein„felden unter dem Majestätischen Insiegel und Handzeichen „prima Junii An. 1283.“ Ex hac formula ita argumentantur dissentientes: Rudolfo pater prospicere voluit A. 1283. praestantissimo quodam Ducatu, ergo A. 1282. Ducatum Sueviae ab eodem nondum acceperat. Porro urgent, ipsum hunc Patrem Augustissimum, hunc suum filium nunquam appellare *Ducem Sueviae*, et provocant hac de causa ad multa diplomata, in quibus tituli hujus Principis leguntur, plane omisso axiomate *Ducis Sueviae.* Inter haec eminet Confirmatio privilegiorum Austriacorum

data

data Rheinfeldiae die xi. Mensis Junii A. 1283. in Lunigii Archivi Imp. Part. Spec. Contin. II. p. 69. in qua Imperator hunc in modum loquitur: „Venientes ad nos ingenui Principes, dilecti nostri filii, Albertus et Rudolphus, Duces Austriae et Styriae, Domini Carniolae, Marchiae, et Portus Naonis, Comites in Habspurg et in Kiburg, ac Landgravii Alsatiae.“ In hac plena recensione titulorum Rudolphi, titulus *Ducis Sueviae* non extat. Afferunt in causae suae firmamentum praeterea codicillum Alberti, Ducis Saxoniae et Principis Electoris, quo consensum suum dedit in concessionem Ducatus Austriae, nulla mentione simul inserta Ducatus Sueviae. Ita enim ibi inquit: „Ob dilectionem et petitionem Serenissimi Domini nostri Rudolphi Romanorum Regis, voluntatem nostram adhibemus plenarium et consensum, quod inclitus Dominus noster Rudolphus, Romanorum Rex jam praedictus, filiis suis, Alberto et Rudolpho, terras videlicet Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, et Marchiam Slavicam libere possidendas justo titulo conferat feodali.“ Vid. du Mont in Corps Diplom. T. I. P. I. p. 247. Dent ergo operam Austriaci Scriptores, ut in lucem proferantur egregia diplomata et documenta, quibus vera et genuina ratio translati Ducatus Suevici in Duces Austriacos magis comprobetur, omnesque scrupuli suborti submoveantur. *) Hactenus enim haec nobilissima pars historiae Suevicae, ac magna accessio dignitatis Austriacae, magna caligine pressa, et admodum dubia ac anceps fuit.

*) Non credimus eventurum, ut hoc umquam fiat, posteaquam neque Herrgottus, neque Callesius, diligentissimi Austriacarum rerum Scriptores, quibus monumenta vetusta inspicere integrum fuit, quidquam protulerunt, quod traditioni isti faveat; illustris autem Wegelinus, l. c. magno lectionis et judicii adparatu, contrarium ita docuit, ut evicisse putandus sit.

XII. Ob-

XII.

Obscurae reliquiae Ducatus Suevici.

Clare et distincte nemo hactenus etiam docuit ac commonstravit, quaenam illae fuerint reliquiae Ducatus Suevici in Rudolphum Austriacum translati. *) Nullum hic praesidium subministrant tabulae feudales Imperatorum, quae nimis generatim ita loquuntur. Ita Ludovicus Imperator dicit: „Nos — Ottoni et Alberto, Ducibus Austriae et Styriae Principibus — Ducatus Austriae et Styriae, ac Dominia Carniolae, Marchiae, ac portus Naonis, nec non comitatus ac dominia, et omnia jura, et bona feudalia, quocunque censeantur nomine, quas vel quae dicti Duces ac progenitores ipsorum hactenus ab imperio tenuerunt, et possederunt in SUEVIA, in Alsatia et alibi, contulimus et conferimus in feudum etc. Datum Monaci Dominico die post inventionem crucis, anno Domini MCCCXXXI. regni nostri anno decimo.“ Vid. Ant. Steyererus in Comment. pro Hist. Alberti II. D. Austr. in addit. ad Cap. I. ad h. an. col. 32. Ejusdem tenoris per omnia est Diploma feudale Imp. Caroli IV. de A. 1348., quod idem reverendus Societatis Iesu Sacerdos, ex tabulario Caesareo Viennensi l. c. col. 148. protulit. Ad Historicos in hoc argumento etiam non est recurrendum, quippe qui admodum negligentes fuerunt in describendis reliquiis Ducatus Suevici.

---

*) Peslerus V. Cl. de Augustae Gentis Austriacae Ducatu et Principatu in Suevia, „Austriacos,“ dicit, „a sede, quam habuerunt in Suevia, Sueviae Duces dictos fuisse, p. 38. — reliquias autem Ducatus Suevici, quem putant Rudolfum, juniori filio cognomini, concessisse, definiri nulla ratione posse,“ pag. 23 seqq.

XIII. An

XIII.

An sint quaerendae 1) in Landgraviatu superioris Alsatiae?

Haec tamen summa obscuritas non deterruit viros historiae patriae cupidissimos in studio enixissimo investigandi et detegendi reliquias destructi Ducatus Suevici, sed potius hoc magis excitavit et auxit. PFEFFINGERUS in Tomo II. Vitriarii illustrati p. 349. scribit: „Patrimonii Hohenstauffiorum magnam partem, per Alsatiam praesertim, Imp. Rudolfum A. 1282, annexo titulo Ducali in filium Rudolfum transtulisse,“ quare et in ANNALIBUS COLMARIENSIBUS ad an. 1290. apud URSTISIUM T. II. p. 25. DUX ALSATIAE vocatur. *) Alio sensu Ducalis Suevicae dignitatis vestigia in Landgraviatu Alsatiae superioris deprehendit OBRECHT. *in prodromi Alsat.* cap. XII. p. 253. inquiens: „Habsburgicorum Landgraviatus ex eodem Alsatiae Ducatu non originem quidem, sed dignationem tamen Principatus traxisse videtur. Nam Rudolphum Imp. constat Ducatum Sueviae, Conradini nece vacuum, suae familiae asservisse, eamque in Comitiis Augustanis A. MCCLXXXII. filio suo Rudolpho contulisse in feudum, quem Scriptores ejus aetatis *Alsatiae Ducem* nominant. ANNALES COLMARIENSES ad A. MCCXC.“ Dux Alsatiae Rudolfus filius Regis Rudolfi obiit, et in Praga Bohemorum sepelitur. Magno argumento connexae cum Landgraviatu Ducalis dignitatis. Nec alio retulerim quod GUILLIMANNUS Habsburgic. Lib. II. c. 5. se alicubi reperisse scribit: Regem ipsum

*) Istud quidem negari non potest, fuisse Austriae Ducem XIV. Seculo ineunte, Rud. IV., qui in sigillis quibusdam etiam *Alsatiae Ducis* titulum profiteretur, quod ex collectaneis diplomaticis e Cod. MSto bibliothecae Uffenbachianae perill. SENCKENBERGIUS docuit: tamen, etiam hoc certum est, a CAROLO IV. Imper. eapropter bello petitum Rudolfum, adactumque fuisse, ut solennibus formulis, omni illa titulorum pompa imposterum abstineret. vid. PASLER, l. c. §. 12—14.

ipsum Rudolphum I. antiquo titulo Alemanniae et Elsatiae Ducatus insignitum. Minime autem Ducali vel Principali axiomate ab eo tempore radiasse Comitiam provincialem Alsatiae superioris, formulae titulorum ostendunt a Ducibus Austriacis ab eo tempore adhibitae, in quibus titulus *Landgravii Superioris Alsatiae* semper titulo *Comitis in Habsburg et Kyburg* postpositus legitur. vid. ALBERTUS ARGENT. Chron. p. 123. Praeterea Historici ajunt: Rudolfum Ducem Sueviae creatum fuisse, de aucto vero Landgraviatu Alsatiae superioris Ducali Dignitate Suevica plane silent.

XIV.

2) *An in Landvogtia Sueviae?*

Non tam insolens aliis visum fuit, reliquias Ducatus Suevici quaesivisse in *Landvogtia Sueviae.* *) Habuerunt enim Imperatores, in provinciis Duce destitutis, suos Praefectos sive Advocatos provinciales, Germanice „die Landvögte" dictos, imo in Documentor. Wirtenberg. pag. 568. dicitur Rudolf de Homburg Pfleger defs H. Römisch. Richefs in Schwaben A. 1362. Hac de causa scribit LAZIUS in Comment. de Rep. Rom. Lib. XII. p. 1048. Sueviae districtus olim Ducatus, nunc, dissecta regione, Praefectura tantum est, Vogdeia appellata. Adstipulatur ei DAN. HEIDERUS, cujus verba sunt in: gründl. Ausführung der Reichsstadt Lindau, die Reichspfandschafft betreffend, p. 192. Die Landvogtey in Schwaben, als welche der Gwelphischen Grafschafft Altorf, darein viel Städ' gehört

*) Hanc, de Landvogtia Sueviae, quaestionem, ad normam veterum monumentorum, diplomatum potissimum, egregie excussit, quem jam aliquoties laudavimus, ill. WEGELINUS, incomparabili opere, quod inscripsit: Gründlich-Historischer Bericht, von der Kayserl. und Reichs-Landvogtey in Schwaben etc. quod totum eo pertinet. Hunc igitur librum legant, qui indagare voluerint, an reliquiae Ducatus Suevici in Landvogtia Sueviae quaerendae sint.

gehört haben, succedirt, und die Reliquias des gantzen Hertzogthums Schwaben zusammengefasset hat: pag. 381. Es ist ex Historiis erscheinlich, dafs die Landvogtey Schwaben, bey des Stifft und auch der Stadt Lindau Herkunfft, noch nicht in rerum natura, sondern damal das Hertzogthum Schwaben noch in esse gewesen, und derwegen solche Landvogtey erst nach Abgang Conradini auf die Bahn kommen; et p. 578. Aus diesem altfränckischen Stilo ist geflossen und übrig verblieben, dafs man damalen (A. 1143.) schon oder ie bald hiernächst angefangen, nicht allein dem Landrichter in Schwaben, (qui tamen in administranda toti provinciae, salvis statuum exemtionibus, justitia, Comitis antiqui personam repraesentabat, Caesareus immediate Judex audit [ad differentiam des Landvogts] der κατ' ἐξοχὴν Advocatus titulirt worden, quin Ducis sive Principis Sueviae partes seu reliquias sustinere videtur;) — sondern auch die Amman und Reichsvögt in Städten eben mit solchen Nahmen des Ministri zu vociren. „Hanc vero sententiam minus idoneam esse ad declarandas reliquias Ducatus Suevici, patet ex eo, quoniam Praefecti Imperiales provinciarum Suevicarum, longe ante excidium Ducatus Suevici Stauffensis, in historiarum chartarumque monumentis occurrunt. Ita A. MX. in literis fundationis Hospitalis Domus Memmingensis, Heinricus de Weissenhorn se nominavit *Advocatum Provinciae Superioris Sueviae generalem.* Deinde Praefectura Imperiali Sueviae aliam ob causam gaudent Archiduces Austriae. *) Et primo quidem haec illis oppignorata **) fuit a Wenceslao Imp. 1379. quod testatur Diploma

*) Haec Tomo I. Sect. VIII. ex monumentis fide dignissimis eruit ill. Wegelinus, quem commentarii instar hic consules.

**) Austriacos igitur, non titulo feudali, sed *pignoratitio*, cum pacto tamen perpetuae reluitionis, Landvogtiam Sueviae possidere, Wegelinus l. cit. evicit, §. 2. p. 170 seqq.

ploma in FUGGERI Ehren-Spiegel des Hauses Oesterreich Lib. III. c. X. p. 350. Postea hanc rursus a Domo sua Serenissima alienatam, Sigismundus Archidux An. 1473. a Johanne S. R. I. Dapifero de Waldburg gravi aere redemit. Ducatus ergo Sueviae, et Landvogtia utriusque Sueviae, superioris et inferioris, admodum inter se distinctae sunt dignitatis potestate, jurisdictione, origine, et adquisitione. Plures etiam fuisse Advocatos Provinciales in Suevia, indicat privilegium Alberti I. R. Reg. de A. 1305. *in Document. rediv. Wirtemb.* p. 397. n. XIX. quo Monasterium Bebenhusanum *a dominatu, jurisdictione, auctoritate, et jugo* ADVOCATORUM *suorum provincialium exemit.* Ex CRUSIO Annal. Suevic. P. III. Lib. III. c. 15. annotavit ad hoc privilegium BESOLDUS p. 398. An. MCCC. aut circiter, ab Alberto Rege tres fuisse provinciales Praefectos constitutos: in Suevia Comitem Wirtembergicum; in Brisgovia filium Domini Ochsensteinensis, et trans Rhenum in Alsatia D. Henricum de Liechtenberg. Inter plures ergo Praefectos provinciales distributae fuissent reliquiae Ducatus Suevici, ac non ad solos Duces Austriacos translatae. Hi Praesides provinciae Suevicae erant Vicarii Imperatoris, ejusque nomine et auctoritate census et reditus Imperiales colligebant, et Ordinibus Suevicis jus dicebant. Vid. in LUNIGII Grundveste Europäischer Potenzen Gerechtsame P. II. c. IV. n. I. p. 1.: kurtze doch gründliche Information, aus was wichtigen und standhafften Ursachen das Kayserl. Landgericht in Schwaben nicht abolirt werden kan und solle de Anno 1658. et n. II. p. 15. Scriptum huic oppositum sub titulo: kurtze doch wohlgegründete Gegen-Information des Löbl. Schwäbischen Crayses interessirter Stände auf diejenige im Jahr 1658. zu Insprug verfertigte und publicirte sogenannte kurtze doch gründliche Information das Landgericht betreffend A. 1666.

XV.

XV.

3) *An in Comitatu Welphico Altorfino?*

Dantur non minus docti viri, qui reliquias Ducatus Suevici in patrimoniali Guelphorum antiquorum Comitatu Altorfino *), prope Ravensburgum et Lacum Bodamicum, constituunt, quoniam ille hereditatis jure pervenit ad Duces Suevicos Stauffenses, ac ab his Ducatu Suevico conjunctus fuit. Ita enim tradit CHRONICON WEINGARTENSE ad An. 1191. in CANISII T. I. antiqu. Lect. p. 223. „Anno MCXCI. XVIII. Cal. Januarii, Gwelfo, nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus, Heinrici Ducis videlicet et Woulfhildis filius, carne solutus, migravit e seculo, in quo nobilitas Altorfensium non mediocriter completa desiit. — Quibus ex ordine rerum ita dispositis, nobile patrimonium cum omnibus suis praediis, nec non Advocatiis et Ministerialibus, Friderico, Rom. Imperatori, filio videlicet sororis suae, et filio illius, Friderico, Duci Suevorum, sub jure possessionis contulit. Quibus in expeditione Hierosolymitana mortuis, idem Welfo, propter innatam familiaritatem et consanguinitatis lineam praedictorum, patrimonium, cum omnibus suis pertinentiis, Heinrico, illustri Rom. Imperatori sub haereditaria possessione contradidit.“ Conf. OTTO de S. BLASIO c. XXI. His testimoniis nixi ajunt: Comitatus Altorfinus post discessum hujus Welphonis transiit ad Duces Sueviae, et ab his possessus fuit,

*) Quibus modis Comitatus Altorfinus, seu Ravenspurgicus, Guelfis cesserit, et quos temporibus illis habuerit limites, patet ex *Fragmento* de Welpone Duce etc. quod ex MSCto edidit LUDEWIGIUS Tomo VIII. L. 11. Reliquiar. omnis aevi diplomatum, WEGELINUS autem num. 112. Tomo II. operis jam laudati, iterum exhibuit. Idem hic WEGELINUS, Sect. VII. Tomi I. inprimis §. 17. p. 158 seqq. quo loco et avulsa de eo Comitatu, antequam Imperio vindicaretur, enarrantur, de ea re omni distincte exposuit, quem nos hic non describimus.

fuit, usque ad fatalem finem Familiae Stauffensis. Sequitur ergo, hunc Comitatum portionem fuisse Ducatus Suevici, in Rudolphum Austriacum beneficio sui Patris Augustissimi collati. Nam Altorfium, cum sua ditione, ab hoc tempore nullos alios possessores ac Dominos unquam habuit, quam Duces Sueviae Austriacos. Quoniam autem ab hujus sententiae auctoribus pariter asseritur, Praefecturae Imperialis Suevicae forum praecipuum esse circa Altorfium villam, ac Praesidem provincialem sedem quondam habuisse in castro montano prope Ravensburgum, potius statuendum esse censemus, Comitatum Altorfensem, separatum a Ducatu Suevico post Conradini mortem, *), Imperio vacasse, atque hac de causa Praesidem Imperialem accepisse.

XVI.

4) *An in Ditionibus Suevicis Austriacis?*

Alii dicunt, fortunas Ducum Suevicorum Stauffensium superare in illis ditionibus Suevicis, quas nunc Archiduces Austriae tenere videmus, quales sunt: Landgraviatus Nellenburgicus, Marchionatus Burgoviensis, Comitatus Hohenbergicus, quatuor Civitates sylvestres, Lauffenburgum, Rheinfelda, Seckinga et Waldshuthum, pagus Brisacensis, Mordnaviensis tractus, Dynastiae Schelklingen, Berg et Ehingen, praeter alia oppida et castra. Verum enim vero omnes illae provinciae, omniaque illa loca,

*) Immo vero multo ante Conradini caedem. Ejus enim Patre, Conrado IV. (quem jam an. 1237. Regem coronaverant) cum adversa fortuna conflictante, Wilhelmus Hollandicus, Richardus item Anglicus, residuum Staufensium domaniorum, hunc nimirum Comitatum Altorfinum, Imperio vindicarunt: ut igitur, neque in Conradini potestate umquam fuerit, neque ex ejus donatione, ut Bavari Scriptt. quidam volunt, ad propinquos, Bavariae Duces, donationis titulo venerit. conf. hac de re ill. Wegelinum loc. cit. pag. 157 seqq.

loca, *) vel emtione, vel permutatione, vel oppignoratione, vel haereditario jure, vel aliis rationibus, in potestatem Archiducum Austriacorum venerunt, uti Crusius, Fuggerus, aliique Historici uberrime ostendunt. In praesentiarum sufficiat duos hujus rei testes excitare. Albertus Argent. p. 158. scribit: „A. 1353. Die Augusti venit Albertus, Dux Austriae, ad partes Rheni, redimens a Comite de Nidowe oppidum imperiale Rinfelden, dudum Ducibus ab Imperio obligatum, sicque habuit de oppidis imperialibus super Rheno Schafhusen, Rinfelden, Nuenburg, et Brisacum." De civitatibus Imperii ab Imp. Ludovico A. 1330. Ottoni, Duci Austriae, pignori datis, haec annotavit Guillimannus Hist. Austr. MSS. Lib. VI. p. 326. in Steyereri l. c. p. 80. „Pignori in eam summam assignavit

*) Recte omnino, et fide dignissimis monumentis, atque Scriptoribus, convenienter. Ex iis enim evincitur, plerosque istarum regionum Austriacarum in Suevia, aut jam possedisse ante Rudolfum, Habspurgicam gentem; aut profecto novas esse adquisitiones Alberti, primogeniti Rudolfi Habspurgici, et successorum, quae adeo partem Suevici Ducatus constituere non potuerint. Certe Tschudius (testis omni exceptione major, qui ad tabularia Austriaca, aliaque monumenta authentica, provocat), in *Chron. Helvetico* ad an. 1299. p. 222. edit. Iselin. totidem verbis hoc demonstrat. Legi haec possunt apud Wegelinum l. c. pag. 153 sqq. qui omnes terrarum Austriacar. in Suevia titulos enumerat. Ita e. c. *Brisgovia*, a Comitibus demum Fürstenbergiis a. 1367. pretio 55000 floren. vendita Austriae, Ducibus Leopoldo atque Alberto, fuit: *Siluae nigrae* pars maxima, a Comite Hartmanno Kyburgico, cujus soror, Heilwiga, Rudolfi Habspurgici mater fuit, hereditatis jure, ande caedem Conradini, Habspurgiis cessit: *Landgraviatum Nellenburgicum*, Sigismundus, Austriae Dux, pretio 37905 floren. emit a Comite Tengensi, Iohanne, anno 1465. Reliqua apud Wegelinum legenda p. 155 seqq. hic non addimus. conf. Hergottum in Geneal. Aug. Gent. Habsp. T. I. p. 11. seqq.

gravit Urbes Imperiales quatuor, Tigurum, Rhinfeldam, Schafhausiam, et S. Gallum, quia commodae Austriacis inter eorum ferme dominia sitae, simul in vindictam, quod ferme contra se semper fecerant. Redimendi quoque cetera ab Imperatoribus et Regibus facta per easdem regiones pignora potestatem dedit. — Sed Tigurini, quia eorum privilegiis alienatio omnis ab imperio prohibebatur, sive quia tamen Ludovico magis inclinaverant, facile liberati, substituto Brisiaco. Sancti Galli quoque oppidum, Rudolfi, Constantiensis Episcopi, patrocinio — pristinae libertati restitutum, et in ejus locum permissum Neoburgum Rhenanum. Cum Imperatorio decreto Neoburgenses obluctarentur, eos Otto obsedit, expugnatosque ad sacramentum coëgit. Illud quoque secuti eadem necessitate ac metu, cum pariter hactenus abnuissent, Brisiacenses, Schafhausiani, et Rhinfeldenses, ultro et volentes in ditionem Austriacam concesserunt."

XVII.

5) *An in regione Sueviae transdanubiana?*

Accuratius in determinandis reliquiis Ducatus Suevici Stauffensis illi versantur, qui eas in regione Sueviae transdanubiana perquirunt, circa castrum Stauffense et Waiblingam oppidum, quae in patrimonio olim Stauffensi fuerunt. Regionem enim Sueviae cisdanubianam, quae proprie sic dictam Alemanniam et Sueviam superiorem constituit (vid. Heiderus in Reichs-Vogteyischer Apologie, Cap. III. p. 166.), olim tenuerunt Comites Welphicae prosapiae praepotentes,*) ac post hos partim Duces Zaeringen-

*) Potentiae Guelforum, atque in terris suis auctoritatis, istud insigne documentum est, quod scribit Monach. Weingartensis apud Leibnitium Tomo I. Scriptt. rer. Brunsv. p. 781. „In tantum ditati sunt divitiis et honoribus, Regibus praestantiores, ipsi quoque Romano Imperatori Homagium facere recusabant, et propriis

ringenses, et Teccenses, aliique Comites et Barones. Omnis ergo Suevia non pertinuit ad Ducatum Sueviae, sed in ea habuerunt Episcopi, Abbates, Principes et Comites, amplissimas ditiones, ab omni Ducis Sueviae imperio ac jurisdictione plane immunes, Imperio tamen Germanico obnoxias et clienteiares. Abundavit sane haec amplissima regni Germanici Provincia Ordinibus regni tam sacris quam secularibus, qui florentibus adhuc Stauffensis familiae Ducibus, comparebant quidem in comitiis provincialibus, in quibus sententiae ferendae erant de Ordinum provincialium controversiis, caeterum ditiones suas ex arbitrio regebant, ab omni potestate Ducali regiis privilegiis exemti. Sententiam ejusmodi placiti publici de A. 1186. proferamus ex LUNIGII Archivi Imperial. Spicileg. Eccles. P. III. n. XI. *von Salmansweyl.* n. VI. p. 609. quae ita se habet: *)

„FRIDERICUS, Divina favente clementia, DUX SUEVORUM, omnibus Principibus, et quibuscunque fidelibus, „sub Ducatu nostro degentibus, praesentibus et futuris in „perpetuum. Cum justum sit causas a majoribus institutas „et judiciario ordine diffinitas, a successoribus non solum „immutari non debere nec cassari, sed magis inviolabiliter „conser-

priis viribus confisi, omnes terminos suos per se magna industria et fortitudine defendebant etc." Adde ABB. URSPERG. ex quo RADERUS in Bav. Sanct. in vita S. Conradi haec adfert: „Ethico, Altorfii Comes, Guelphonis I. filius, vel ut alii volunt Nepos, filium habuit Henricum, Patrem S. Conradi, qui cum persuasus ab Imperatore, inscio Patre, Homagio praestito se subjecisset, adeo Pater Ethico aegre habuit, ut filium in conspectum venire noluerit." Quibus testimoniis conficitur, vera esse quae hic scribit KOELERUS, fuisse omni tempore in Suevia, terras a Ducum potestate immunes.

*) Primo loco diploma istud Friderici, Ducis Sueviae, Coenobio Salemitano datum an. 1185. exhibuit ill. WEGELINUS Tomo II. p. 1. seq. ex Apiario Salemitano Cap. II. §. 21. p. 46.

„conservari et confirmari; Notum facimus cunctis tam fu-„turis quam praesentibus, nobis in publico placito loco „qui dicitur *Kunige-Stuhl*, cum universis Principibus „totius Sueviae consedentibus, N. Abbatem de Salem su-„per tali gravamine querelam deposuisse, quod Conradus, „Comes de S. Monte, praedium duorum liberorum homi-„num, Eberhardi et Ulrici, qui praesentes erant, et libe-„ram *Wehrschafft* coram omnibus Abbati ferebant, vio-„lenter abstulisset, asserens, non esse potestatis eorum, „ut ipsi vel aliquis liberorum in sua comitia, sine con-„sensu ejus, ulli Coenobio vel Ecclesiae sua conferre va-„leret; unde sententia postulata universaliter ab omnibus „dijudicatum est, liberis hominibus licere praedia sua qui-„buslibet Ecclesiis, vel cui vellent, dare posse. Nos ita-„que praedicti Abbatis et Fratrum suorum quieti contra „tales calumnias imposterum providentes, ad confirmatio-„nem omnium, quaecunque praefato coenobio in praesen-„tiarum, vel in futurum, a quolibet homine libero collata „fuerint, secundum formam datae sententiae, paginam „istam sigilli nostri impressione roboratam, venerabili Ab-„bati adversus quorumlibet judicium temerariam in tali-„bus praesumtionem donamus. Et ut praesentis chartae „continentia non solum propter antiquae institutionis au-„thoritatem, sed et nostrae confirmationis tenorem per-„petuum, apud Posteros robur obtineant, praemissae sen-„tentiae executores subnotare dignum duximus: Welfo „Dux, Otto, Hartmannus et Rudolfus, Comites de Chilich-„berg, Otto Palatinus Comes de Witelispach, Ludovicus „Comes de Sigmaringen, Henricus Marchio de Rumes-„berch, Henricus Comes de Wartstein, Manegoldus et „Henricus Comites de Veringen, Gebhardus, et Wolfra-„tus frater ejus, filii Comitis Manegoldi, Albertus et Ul-„ricus Comites de Chiburg, Gotefridus et Manegoldus „filius ejus Comites de Rordorf, Burchardus Comes de „Hochenberc, et Frater ejus Comes Fridericus, Berchtol-„dus et Fridericus Comites de Zolleren, Egeno Comes de

„Urach, Bertoldus Comes de Berge, Conradus Comes de „Sancto Monte, Ernest de Stuzelingen, Manegoldus de „Otolfswang, Berngerus de Schuzenriedt, Gotefridus de „Schweinhausen, Conradus de Teggenhausen, Burchardus „et Albertus frater ejus de Frichingen, Hartmannus et „Conradus de Mimmenhausen, et alii quam plures. Acta „sunt haec Dominicae Incarnationis Anno Millesimo cen„tesimo octuagesimo quinto, indictione tertia, Imperante „Friderico Rom. Imperatore Augusto. Anno autem Im„perii ejus XXX. Anno vero Ducatus nostri I."

Immunitatem vero civitatis Thuricensis a Ducis potestate, testatur sequens Diploma Richardi, Regis Rom. in Simleri Lib. I. de rep. Helvet. p. 80. et Guillimanni rer. Helvet. lib. III. c. 5.

„Richardus, D. Gr. Romanorum Rex semper Augu„stus, universis Romani Imperii fidelibus gratiam suam et „omne bonum. Sane fideli ratione pervenit ad nostrae se„renitatis auditum, quod Conradinus, olim Conradi Regis „filius, qui se Ducem Sueviae nominat, ea non contentus „injuria, quod in vanum sibi gloriam usurpat, insuper „et adversus cives nostros Thuricenses, in nostro et Im„perii gremio speciali collocatos, nec ad Ducatum eundem, „sed ad Imperium, prout stabilivit antiquitas, et moderni„tas adprobavit, immediate spectantes, tanquam subessent „memorato Ducatui, proscriptionis de facto (cum nullo pe„nitus jure posset) sententiam promulgavit. Nos cautelam „eisdem civibus (ne aliquid in simplicium oculis eos infa„miae nubilum decoloret), praedictam proscriptionis sen„tentiam, utpote omni robore vacuam, auctoritate regia, et „plenitudine potestatis nostrae, denunciamus omnino carere „viribus, et decernimus esse nullam. Datae Hagenoa XX. „die Novembr. Indict. V. Anno Domini CIↃ CC LXII. regni „nostri VI." Proinde falsum est assertum,*) extincto Conradino

*) Ex antecedentibus enim, ubi in primis de causis debilitatae gentis Stauffensis dictum est, intelligitur, longe ante

dine, tot Imperii Ordines Sacros et Saeculares in Suevia demum ortos esse; neque Jura, immunitates, et privilegia, quibus illi potiuntur, ex concessione Regum nostrorum, sunt exuviae dilacerati Ducatus Suevici Stauffensis, qui omnem Sueviam minime comprehendit. Ex nostra ergo etiam sententia reliquiae ejus fuerunt, post tot alienationes, oppignorationes, donationes et direptiones, dynastiae quaedam, sive domania Ducum pristinorum in Suevia transdanubiali, quae ab invasoribus vindicata, Imp. Rudolphus filio suo Rudolpho assignavit. Neque haec omnia subsequentes Duces Austriae conservarunt, sed pro lubitu multa vendiderunt, oppignorarunt, vel aliis modis alienarunt. Ita Albertus et Leopoldus, Duces Austriae, Conrado de Riedersheimb castrum *Hohenstauffen*, Dynastiam *Blaubeyren*, et *Achalm* A. 1370. pro 123000 Aureis Hungaricis in pignus concesserunt, qui deinde pro hac pecuniae summa; eadem loca Domui Wirtembergicae tradidit. Hac de causa jam antea idem Leopoldus, in tabulis pacis cum Imp. Carolo IV. A. 1360 professus est, *se in Palatinatu Rheni, in Suevia* et *Alsatia Ducem non esse*, ut Mutius refert in Chron. Germ. Lib. XXV. p. 258. Ipse quoque Imp. Fridericus III. in praecepto de communi foedere pacis tuendae causa ab Ordinibus Sueviae ineundo de A. 1487. dixit in Dattii de pace publ. Lib. II. c. 6. p. 272.: So wir aber als Römischer Kayser gedencken, das solcher Fried, das heilig Reich insgemein betrifft, und dann das Land zu Schwaben uns und dem H. Röm. Reich ohn alles Mittel vor andern zugehörig und unterworffen ist, und kein eigen Fürsten, noch jemand hat, der ein gemein Aufsehen darauf hab, dann uns als Röm. Kayser; so sind wir uns selbst, und dem Heil. Röm. Reich, als desselben

---

ante Conradinum tempore, diversos Imperii Ordines liberos, in Suevia enatos fuisse: unde consequitur, dici exuvias dilacerati Suevici Staufensium Ducatus nullo modo posse.

hen Heil. Reichs aigen Sach, schuldig, dasselb Land zu Schwaben in seinen Ehren und Würden zu erhalten etc. etc. Caeterum ingenue fatemur, altioris indaginis hoc esse argumentum, et gravius, quam quod pro dignitate a nobis tractari, atque exponi potuerit. In magnis tamen etiam voluisse sat est.

F i n i s.

Cum alia, tum haec Praeses *Koeletus* (in dissertatione historica de Fatis Ducatus Alemanniae et Sueviae) Jo. Frider. *Balbach de Gastel* dixit:

„Neque enim satis *Tibi* fuit, animo bene praeparato, atque valde docili, complecti gravissimam divini et humani juris scientiam, quae tam publica quam privata negotia ordinat et dirigit; verum etiam humanitatis disciplinas assidue excoluisti, et inprimis historiae regni imperiique Teutonici cognoscendae indefesso studio incubuisti. Itaque, ut *Tuae* eximiae diligentiae ac doctrinae comparatae publicum extaret documentum, selegesti pro caritate in patriam *Fata Ducatus Alemannici* et *Suevici* recensere, *ejusque reliquias* in hodierna Suevia, in tanta opinionum et conjecturarum ambiguitate, *investigare, atque eruere.* Omni vero licet adhibita opera, nebulae huic veritati, negligentia Scriptorum veterum, et injuria temporum obductae, nondum ita dissipatae, ut clarum lumen effulgeat. Hoc tamen *Tuo* egregio conatu ad diligentiorem curam et investigationem alios sollicitasti, ut vel ex commentariis rerum gestarum, vel ex diplomatibus, aliisque idoneis monumentis ineditis, suppleant hunc defectum insignem in historia Suevica, et detecti luminis novi gloriam amplissimam ferant."

